This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

L
419

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

L 419

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

CONSENSUS, QUI POTEST INVENIRI INTER ACCENTUM ET ICTUM APUD COMICOS LATINOS, UTRUM FORTUITUS SIT NECNE.

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPS.
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
IN PUBLICO DEFENDET

ALBERT JOHANSSON
LIC. PHIL. NAT. OSTROG.

IN AUDITORIO IV NON. DEC. MDCCCLXXXVIII.

H. A. M. S.

VENERSBURGI
TYPIS DESCRIPSERUNT BAGGE & PETTERSON
MDCCCLXXXVIII.

L419

not online found

Index scriptorum, quos laudavi et auctores adhibui:

R. Bentley, De metris Terentianis Schediasma, in editione ejus Terentii, Amstelædami 1727.

G. Hermann, Elementa Doctrinæ Metricæ, Lipsiæ 1816.

F. Ritschl, Opuscula Philologica, Vol. V, pag. 285 sq. X. Prolegomena de rationibus criticis grammaticis prosodiacis metricis emendationis Plautinæ.

W. Corssen, Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache, 2:te Auflage, Leipzig 1870.

W. Meyer, Über die Beobachtung des Wortaccentes in der altlateinischen Poesie, München 1884.

H. Koehler, De verborum accentus cum numerorum rationibus in trochaicis septenariis Plautinis consociatione, Halle 1877.

A. Luchs, Quæstiones metricæ, Greifswald 1872.

P. Mohr, De iambico apud Plautum septenario, Leipzig 1873.

O. Brugmann, Quemadmodum in iambico senario Romani veteres verborum accentus cum numeris consociaverint, Bonn 1874.

O. Podiaski, Quomodo Terentius in tetrametris iambicis et trochaicis verborum accentus cum numeris consociaverit, Berlin 1882.

A. Spengel, Reformvorschläge zur Metrik der lyrischen Versarten bei Plautus und den übrigen Scenikern, Berlin 1882.

L. Mueller, Orthographiæ et prosodiæ latinæ summarium, Petropoli 1878.

F. Schöll, De accentu linguæ latinæ veterum grammaticorum testimonia collegit disposuit enarravit F. Schoell, Leipzig 1876.

L. Havet, De Saturnio Latinorum versu, Paris 1880.

O. Keller, Der saturnische Vers als rhytmisch erwiesen, Leipzig 1883.

W. Christ, Metrik der Griechen und Römer, 2:te Auflage, Leipzig 1879.

Legenti mihi primum comicos illos latinos subito occurrit consensum esse quendam eumque mirabilem inter ictum versuum et verborum accentum. Inveni enim versus hujuscemodi:

facit út te audacter móneam et familiáriter. Haut. I: 58,

quid quaéris? annos séxaginta nátus es

aut plús eo ut conjício; agrum his regiónibus, Haut. I: 62, 63.

Quod maxime sum admiratus, præsertim quum a schola pæne decantatum habeamus et inculcatum non modo poësim veterum et romanorum et græcorum a quantitate profectam esse verborum, sed etiam apud nostros illos veteres accentu adhibito versiculos esse ædificatos. Credidi igitur aliquid indagatum esse ejusmodi, ut quæ ante esset de hac re falsa opinio, ea jam refutari posset. Sed mihi rem accuratius scrutanti satis apparuit dissimilitudines etiam inveniri posse maximas, ut in his versibus:

homó sum: humani níl a me alienúm puto,

vel mé monere hoc vél percontarí puta. Haut. I: 77, 78.

Hic maximam exstare discrepantiam haud difficile erat intelligere; nam primum 'homó' in ultima acuitur, deinde ictus verbi 'álienúm' locum accentus summa ope evitat

non minus quam in 'percóntarí', ubi pænultimam syllabam, quamquam accentum habet, ictus tamen intactam relinquit. Sæpe igitur accentum inveniebam cum ictu congruentem; interdum autem annotavi summam illorum discrepantiam; et quum præcipue in quæstionem vocarem hanc congruentiam, mihi perscrutandum esse videbatur, utrum hic consensus, ubi erat, arte quæsitus esset an fortuitus, utrum a voluntate poëtarum an linguæ legibus esset profectus, utrum extrinsecus petitus an in lingua ipsa latina inesset neque posset evitari.

Quem consensum sive credendum erat arte petitum a comicis, mihi consentaneum esse apparebat, in ratione ipsa linguæ latinæ aliquid esse obstaculi, ne ubique respiceretur accentus, sive erat putandum fortuitum esse et sæpius inevitabilem, summa ope mihi videbatur perscrutandum, quænam esset causa concordiæ. Aut enim duas esse leges, quæ in versibus faciendis plus valerent et vincerentur vicissim, aut unam, ad quam revocandus esset et consensus et discrepantia. Quo modo cumque esset, rem dignissimam esse, quæ disquireretur.

Dum igitur literas, quæ sunt de Plauto ac Terentio, pervolvo, Bentleium priore jam sæculo inveni concordiam hanc eandem atque me indagasse. Et quum propius ad nostra tempora accederem, certamen illud, quo Corssenius cum Ritschelio manus conseruit, haud ignotum mihi esse potuit. Postea autem aliquot inveni discipulos illorum et sectatores, qui hunc aut illum sequentes contraria demonstrare conabantur.

Haud ineptum mihi visum est et satis e re, primum paucis commemorare, quid disputarint doctissimi homines de ratione accentus ictusque, quanam via se ad finem perventuros esse crediderint, quidque re vera sint

assecuti, deinde disquirere, num hac via illorum rationeque ad certum judicium possit perveniri. Quod fieri non posse si mihi continget ut demonstrem, temptabo, si alteram illa meliorem esse et certiorem possim ostendere.

Primum igitur Bentleius in 'Schediasmate de metris Terentianis' editionis suæ Terentii pag. 17 sic disputat: 'Id Latinis comicis, qui fabulas suas populo placere cuperent, magnopere cavendum erat, ne contra linguæ genium ictus seu accentus in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparent'; et pag. 18: 'totum autem hoc, quod de ictu in ultimis syllabis cautum fuisse diximus, de secunda tantum trimetri dipodia capiendum; nam in prima et tertia semper licuit; siquidem ista sine venia conclamatum actumque erat de comoedia tragoediaque latina. cum igitur hunc versum similesque apud nostrum videris, 'Malúm quod isti dí deæque omnés duint', cave vitio id poëtæ verteris; etsi 'malúm' illud et 'omnés' si in communi quis sermone sic acuisset, deridiculo fuisset. nimirum aures vel invitæ patienter id ferebant, sine quo ne una quidem in fabula scæna poterat edolari'.

Ad ea, quæ hic disseruit Bentleius, mox revertetur oratio; nunc hoc solum afferam.

Si non diserte, at tamen satis aperte dicit, ictum re vera idem esse atque accentum i. e. ictum esse accentum, quo in poësi acuatur syllaba; apud comicos latinos alias syllabas atque eæ, quæ jure ferant accentum, ictu i. e. accentu posse feriri, quæ autem acui soleant, eas in poësi prorsus accentu solito carere posse atque verbum perdito suo alium recipere.

Jam vero de ultimis modo syllabis quum disputet, ceteras relinquat, eum imprimis de eo cogitasse, quod apud latinos ultima syllaba semper fere careret accentu,

facillime apparebit. Et hoc pæne in manu est. Illa enim syllaba si in sermone quotidiano numquam acuitur, mirum videri necesse est, si ceteris omissis illa ipsa occurrit acuta. Neque Bentleius progressus est longius. Consensum igitur inter accentum ictumque ait talem esse, ut in secunda trimetri jambici dipodia accentus ultimas syllabas evitet.

W. Meierus in commentatione sua*) pag. 11 regulæ illius partem falsam esse ostendere conatur: nam cæsura si observetur tertii pedis, secundam dipodiam verbo jambico sæpissime finiri. Ita rem se habere apud comicos aliquot exemplis confirmat e Publilio Syro conquisitis. Melius fuit sine dubio rem haud sane usitatam exemplis a comicis assumptis confirmare. Hunc locum paullo accuratius libet pertractare.

Cæsura enim semiquinaria, ut assolet, respecta si quartum pedem occupet vox jambica, ante eum pedem subsistere verbum monosyllabum satis liquebit vel pyrrhichiacum, quod cum priore ultima tertium efficiat pedem. Sed quum ita versus in duas partes, ternos pedes continentes, dividatur cæsura media, alexandrinus qui postea est vocatus nimirum efficitur, id quod veteres illi sedulo evitabant in senario jambico.

Quod si quis quærat, num licuerit numquam mediam tolerare cæsuram, facilius hoc vitium patiebantur aures, si solita cæsura carebat versus, ut hic:

'nam pró deum atque hominúm fidem quid vís tibi?'

vel soluta erat longitudo tertii pedis, ut hic:

'mihi síc est usus: tíbi ut opus factóst, face' et:

'Dionýsia hic sunt hódie: apud me sís volo'.

---

*) Ueber die Beobachtung des Wortaccentes in der altlateinischen Poesie. Vide indicem scriptorum, quos laudavi.

Nam ut in fine trimetri jambici, ita etiam ante cæsuram verbum monosyllabum perraro exstat. Et minime fuit aptum et rationi conveniens metricæ aures ad mediam cæsuram revocare verbo monosyllabo et fortiter acuto.

Exceptionum in numero quoniam habendum est quarto in loco verbum jambicum, legem Bentleii nequaquam versibus Publilii Syri prosterni est confitendum.

Exempla autem, ut illud Syri:

'Avárus ípse *míseriaé* causást suæ'

rarissima sunt apud Terentium.

In tanta tamen reprehensione Bentleii oblitus est Meierus, ultimam syllabam præterea acui posse verbi cretici, si arsim quarti pedis occupet, quod tamen minime offendit, et anapæstum quoque, quamquam hic, ut mox apparebit, in alienum locum transsiluerit, tamen interdum nullo suo jure in vetitum solum quarti pedis irruere.

Undeunde igitur pendet res — hoc enim in medio relinquimus — regulam illam Bentleii probatam putare necesse est.

Hermannus ille rerum metricarum peritissimus in Elementis Doctrinæ Metricæ summo ingenio atque acumine rem ad fines perduxit, ultra quos ne nunc quidem perventum est. Duo enim sunt haud refutanda, quæ in omne tempus confirmavit, *cæsuram semiquinariam* apud comicos certa lege esse astrictam et redeuntem, et *locum spondei.* In pag. enim 141 sic disserit de cæsura semiquinaria:

'Eos' (ad verba, quæ supra dixit, 'de Romanis veteribus' spectans) 'primo paullo minus sæpe negligere cæsuram eam, quæ est in medio tertio pede, quam Græcos

comicos: quod magis a natura linguæ Latinæ repetendum videtur quam a poëtarum diligentia. Non enim amant Latini voces in ultima syllaba ictu notare nisi in primis et postremis senarii pedibus, etsi ne in hac quidem re ubique sibi constant;' et de loco spondei:

'Deinde vero spondeum a Latinis veteribus in omnes trimetri locos præter ultimum receptos' (oportuit fortasse scribi 'receptum') 'esse, res est notissima. Curarunt illi tamen, ut plerumque minus durus ad aures accideret spondeus iste. Hinc illud in primis caverunt, ne accentus vocabulorum, in quibus spondeus est aliquem e paribus locis tenens, cum ictu pugnaret.'

Iterum atque iterum est considerandum, quid de cæsura primum dixerit Hermannus. Sensu enim quodam quamvis cæco disputat cæsuram observasse comicos, ne claudicarent versus neve ictu repugnante aures offenderent; aure nempe vetante quum discordiam ictus accentusque a secunda trimetri dipodia depellerent, cæsuram illam poëtas invenisse optimam adjutricem ob eamque rem semper fere haud minima religione coluisse.

Jam vero legem, quam vocat Meierus dipodiæ, Hermanno inventori et auctori attribuendam esse pro certo habeo. Spondeus enim ceteros in locos receptus si tamquam in suo habitat, in paribus tamen locis certæ legi subjicitur, vix ut umquam in arsim incidat ultima, nihil aliud quam syllabam suam acutam ictui concinere sinit. In secunda igitur thesi dipodiæ trimetri jambici syllabam pænultimam verbi spondiaci, utpote quæ exceptis nonnullis syncopatis, ut Arpinás, Samnís,*) cet., semper fere haberet accentum, perraro usurpari Hermannus primus intellexisse videtur.

*) Vide Seelmann, Die Aussprache des Latein pag. 25.

Quæ dixi ut breviter comprehendam, magnam vim habere ad versus rationem cæsuram trochaicam primum non minus intellexit Hermannus quam posteri. De causa, cur tam raro negligeretur seu potius observaretur tam assidue, varie judicatum est. De hoc tamen postea.

Et si quisquam sibi vindicat gloriam illam legis dipodiæ quæ vocatur indagatæ, Hermanni est. Quod postea est adjectum nihil aliud est nisi accessio, quæ ædibus est adjuncta. Miræ certe Hermanni inventionis est legem indagasse et ad nostram quæstionem gravissimum attulisse præjudicium.

De ea vero re, quam quærimus, quid senserit Ritschelius, paucis et summatim modo jam tempus est disserere. Prolegomenon ejus ad Trinummum capite 15, quid 'de accentus verborum cum numerorum rationibus consociatione' disputaverit, videamus.

Primum igitur quid toto de hoc genere statuat, decernit ita, ut dicat 'arti metricæ pro fundamento fuisse quantitatis observationem; cum ejus autem quantitatis serveritate summa accentus observationem, quoad ejus fieri posset, conciliatam esse'. Poëtas ergo statuit primum ac diligentius quantitatem spectasse verborum; posteriore et haud prorsus debita cura accentum verborum observasse.

Quærendum est igitur primum, num natura ipsa linguæ accentus observationem vetet certam et semper accuratam. Totam illam quæstionem ultimo a pede repetit senarii jambici. Levissime hoc perstringens, quum in arsi ultima posita est vox monosyllaba, quo tamen concinne servaretur accentus verborum, a verbo jambico ultimi pedis ad ceteros pedes et ceterorum verborum figuras transit.

Verbum spondiacum vel in spondeum cadens quum non patiatur ultimus pes, unde etiam monosyllaba sint exclusa — de quo infra plura — eundem contendit hunc ultimum pedem postulatis haud repudiandis poscere jambicam vocem vel in jambum cadentem. Adde huc, quod totum hoc genus — idque multitudine non spernendum — vocum jambicarum accentum ut in prima, ictum in postrema modo recipiens syllaba nullo alio modo quam ita, ut discrepantiam ictus accentusque paterentur poëtæ, ordinibus verborum h. e. versibus poterat impingi.

Restat ut, quum nulla sub condicione, nisi ut probaretur hæc, de qua sæpissime loquimur, discrepantia, in versum intrudi posse verba jambica comprobatum sit, hoc quoque ostendat, in lingua, quæ accentus vim amplectatur, quonam modo tolerabilis sit illa discrepantia.

A compositis igitur profectus talibus, ut 'pérvidét', 'pérfidám', quorum ultimas quoque syllabas necesse erat acui, aures eo syllabæ brevi primariæ accentu carenti, ultimæ accentu notatæ assuescere credidit; deinde hoc quoque transtulit ad simplicia, quæ accentu sine molestia aurium carere posse se hac ratione comprobavisse putavit; quam tamen ratiocinationem mininam præ se ferre probabilitatem, neminem fallere potest.

Ultimo, ut supra dixi, a pede quemadmodum hanc licentiam oxytoneseos ad ceteros, ita quoque a verbis jambicis ad aliarum vocum varietatem traduxit et fines circumscripsit, intra quos eam vult libere pervagari. De quo olim fortasse accuratius; jam mihi satis erit ad summam modo quæstionis ejus spectare.

Proximo igitur ante sextum pedem loco, ne is penuria premeretur, voces jambicæ, spondiacæ, anapæsticæ, ceteræ oxytonesim admisisse videntur Ritschelio; et ad

tertium a fine vocabulum hanc rationem pertinuisse contendit; quod oxytonum esse ea condicione potuisse, ut a binis vocibus exciperetur item contra consuetudinem linguæ oxytonis: 'vocánt civés tuí', cet. Pænultimo in pede spondiacum verbum sæpissime exstare, tertium a fine locum raro anapæsticum et choriambicum occupare rectissime annotavit.

Spondiaca vero vel in spondeum exeuntia, ut molossum, quartum pedem haud sine molestia occupare asseverat.

Jam vero cæsuræ vim atque rationem postquam nulla ex parte attigit, ad priorem partem senarii, quæ est ante hanc eandem cæsuram, transgreditur. Jambicas voces dicit ibi minimum afferre molestiæ; sed quod iis licuerit, ut in secundum pedem intrarent, ejus quidem licentiæ aut numquam aut perraro spondiacas atque anapæsticas esse participes. Primum denique pedem summa, ut assolet, sibi debita licentia neque anapæsticas voces neque spondiacas ac ne dactylicas quidem voces repudiasse; tribrachica quidem vocabula vel in tribrachum exeuntia numquam hunc accentum ⏑ ⏑́ ⏑ recepisse.

Postquam longarum omnium syllabarum finem verbi efficientium perlustravit oxytonesim, ad breves transgreditur. Singula ne persequamur, sub illa condicione evadunt acutæ, ut a binis brevibus excipiantur. Primus modo pes senarii jambici, si ad summam spectamus, præter ceteras et hanc sibi assumit licentiam, ut, quum una brevis sequatur syllaba, oxytonesim patiatur verbi trochaici.

Hanc eandem rationem senarii jambici et ad trochaicos septenarios transtulit. Quam ob rem mihi videtur esse supervacaneum de his seorsum disputare.

De quaque re quid disseruerit Ritschelius, si paucis comprehendimus, ultimas tantum syllabas respexit ita, ut, quando possent acui, quando non, disquisierit. Sed sic hoc tantum disseruit, quantum contra legem accentus poëtæ sibi assumpserint licentiæ, non quid summa cum diligentia observantes hoc assecuti sint, ut accentus cum ictu ne dissentiret. Nam neque cæsuræ vim atque naturam, concentum sane illum, de quo jam diu dicimus, efficientem, nisi leviter attigit, neque rationem legis, quæ vocatur dipodiæ, satis plane illustravit, ita ut a respectu accentus atque cura profecta esse intelligatur. Quod vero gloriatur Meierus (pag. 44 not.) se legem illam dipodiæ, quæ quidem non magis ad spondiacas quam ad anapæsticas voces pertineret, primum indagasse, Ritschelius jam, ut supra dixi, quum spondeum tum etiam anapæstum et in secundo et in quarto pede rariora esse ostendit.

Jam vero hoc etiam mihi videtur esse animadvertendum Ritschelium quoque, sicut Bentleium, ut ex acervo depromam exemplum, vocem anapæsticam in ultima syllaba ictu notatam censere eo suum prorsus perdere accentum antepænultimæ et accentum idem adeo valere atque ictum.

Vnum hoc jam vel iterum, antequam relinquamus Ritschelium, moneamus perbene eum, ut supra dictum est, animadvertisse voces dactylicas rarissime, tribrachicas numquam pænultimam suam syllabam ictu notare.

Ad Corssenium jam transgrediamur.

De ea re, quam quærimus, postquam (a pag. 948) copiose satis disseruit, quid varie sensissent doctissimi homines, pag. 952 totam repetit quæstionem a sententia Ritschelii duos fuisse quasi gradus, per quos poëtæ

veteres ad observationem illam quantitatis verborum progrederentur: unum, quo pulcherrima cum concordia regeret rem metricam et accentus et quantitas, alterum, ubi inter se pugnarent; quos per gradus eo denique perventum esse, una ut quantitas spectaretur.

De hac re igitur Corssenius ita disputat, ut, si quantitatem per illos gradus ad regnum subrepsisse verum sit, et hoc futurum esse, ut discrepantia illa in dies major videatur et insignior, contendat.

Hujus ergo discrepantiæ ut demonstret progressum vel regressum, numerariam quandam iniit rationem, ita ut, quum e singulis scriptoribus variis locis essent excerpti versus triceni, arsibus, ubi discreparent accentus ictusque, connumeratis et cum summa omnium arsium comparatis, ratio ea accuratius exprimeretur eo, quod, quota omnium esset pars ii loci, qui discreparent, numeris exponeretur.

Hanc igitur rationem omnibus locis comparatis et ex omnibus uno numero divisione quadam extracto invenit esse ejusmodi, ut in senario apud Plautum sit quinta pars, apud Terentium sexta pars, apud Phædrum plus quam sexta, minus quam quinta pars; in epigrammatis vulgaribus Ventidii Bassi et Augusti (vide pag. 955) octava pars, in titulo christiano a quinto sæculo oriundo duodecima pars; in hymnis Hilarii et Ambrosii, qui quarto sæculo vixerunt, ictus accentusque, quantitate quamvis observata, paucis locis modo exceptis pulcherrime concinunt.

Qua ex ratiocinatione, si vera est, haud dubie apparet in dies magis inter se attraxisse ictum accentumque in trimetro jambico.

Quod si ad Senecam convertimus quæstionem (pag. 956) in discrepantia versatur etiam tertia pars i. e. apud hunc poëtam eandem invenimus rationem atque apud Aristophanem. De hoc infra plura.

Jam vero in septenarium trochaicum si conjicimus oculos, eandem fere esse rationem invenimus. Nam est, ut arsium apud Plautum plus quam septima pars in discrepantia versetur, minus quam sexta pars. Eodem prorsus modo res se habet apud tragicos latinos. Apud Terentium septimam jam partem, in Pervigilio Veneris octavam, in jocis militum alternis, quæ ad ætatem nostram servaverunt Suetonius et Scholiasta ad Iuvenalem quæque temporibus Cæsari Domitianoque interjectis sunt attribuenda, quartam decimam tantum partem reperimus efficientem discrepantiam. Et in carminibus christianis a quarto vel posteriore sæculo oriundis concentus ille, de quo quærimus, jam sibi constat.

Certe igitur demonstratum est et in septenario trochaico in dies ad majorem perventum esse concordiam.

Hexametrum autem si inspicimus, latinus græcorum fere se præstat simillimum. Nam (pag. 960) ab ætate Ennii ad Claudianum quemadmodum sibi constat tertia fere parte discordiæ, ita discrepantiæ græcorum tantillo succumbit, ut in tanta similitudine et constantia, quam quisque præ se fert exitus latinorum hexametrorum concordiæ illi, quam quærimus, optime faventem, mirum esse videatur maiorem hanc non esse concordiam.

Rationem ergo Ritschelii tres fuisse gradus statuentis, per quos ab amicissima accentus quantitatisque i. e. ictus, qui quidem ab illa penderet, concordia sensim pedetemptimque ad summam discrepantiam perveniretur, denique ad quantitatem solam spectatam, quum contra

prorsus ad majorem usque concordiam eatur, falsam esse contendit.

Vt totum hoc, quod in unum spectat, in unum etiam consociemus, hic etiam libet, quid de versu Saturnio tradat Corssenius, simul tractare.

Namque testimonio nisus Terentiani Mauri quantitate verborum hunc versum mensos esse poëtas illos priscos summa cum fiducia contendit collatisque exemplis discrepantiam apud eos multo majorem quam apud Plautum fuisse poëtasque illos nequaquam id egisse, ut consentiret cum ictu accentus, confirmare conatur.

Quod si hoc verum sit, summo suo jure, unde tandem hæc nova ratio accentus atque cura consensus, de quo sæpissime dictum est, quasi a nubibus delata subito irruerit in locum quantitatis, impensius interrogat. Et in hoc sine dubio recte judicat, quod, si jure videatur quantitatis observans versus ille Saturnius, non possit fieri, quin primum illud Ritschelii a principio fuisse pulcherrimam accentus ictusque concordiam, refutatum esse putemus.

Quid? si numquam observaverint quantitatem Saturniorum illi auctores? hanc si numquam curaverint? Quid? si in accentu omnia posuerint, ita ut in carminibus pangendis de quantitate cogitarent nihil? Si hoc verum est, discrepantiæ illius nulla cura. Tum enim omnia inter se optime quadrant.

Nam si versus illos omnibus notissimos eligimus spectandos

'Cornélius Lúcius Scípió Barbátus
Gnaívod pátre prognátus || fórtis vír sapiénsque
Quoíus fórma virtútei || parísuma fúit
Cónsol cénsor aidílis || queí fuit ápud vós

Taurásia Cisaúna Sámnio cépit
Súbigit ómne Loucánum || ópsidésque abdoúcit',

rationem certe sumimus simplicissimam et facillimam, si rem ad grammaticos illos veteres, qui non magis quam ceteri sui æquales vim et rationem prorsus oblitteratam horum versuum intelligebant, sed in artem ætatis suæ poeseos quantitatem observantis intrudere et impingere conabantur. si igitur rem ad illos non rejicientes versus Faunios accuratius introspicientes ad vim modo et naturam versuum accommodamus judicium. Et si omnes illas conjecturas, quas, ut aliquo modo saltem legi possent, fecerunt Christius, Ritschelius, Havetius, cêteri difficillimas, theses suppressas, longas syllabas correptas, breves productas, in memoriam revocamus, certe occurrit has conjecturas esse contortiores, quam ut ad veritatem accedant; et si ratio, quo minorem affert difficultatem, eo probabilior habenda est, certe versum Saturnium accentu mensos esse poëtas veri similius esse videtur quam quantitate. Difficultates enim, si Faunios illos accentu metiaris, invenias minimas.

Similitudinem vero fidei et argumento prorsus finitimam in cantilenis etiam reperias populorum stirpis germanicæ, quæ 'folkvisor' vocantur, ut apud anglos, suecanos, germanos. Apud quos ab arsibus pendent omnia. Certas enim habet versus arses, una vel pluribus thesibus sine norma interjectis. Et carmen illud, quod Niebelungorum vocatur, media observata cæsura cum exemplo illo Terentiani Mauri haud sine causa comparari potest:

'Dábunt málum Metélli || Naévió poëtǽ
Vírum míhi Caména || ínsecé versútum
Eórum séctam sequúntur || múlti mortáles.'

Quamquam longum et minime nostrum est argumentis hanc O. Kelleri rationem confirmare. De qua re accuratius vide illius commentationem.

In eo est jam, ut nobis videndum sit, quomodo quadret hoc, quod de accentus observatione versus Saturnii supra diximus, ad ea, quæ de progressu illius concordiæ Corssenii quæstione exprompta paullo ante posuimus. Hæc, quæ jam sequentur, ita sunt in medio sita, vix ut possit quisquam non videre ea sua sponte prorsus occurrere. Quam ob rem mihi mirum esse videtur, si non multi jam hæc eadem statuerint, ægreque fero, quod totum illud literarum genus, quod huc spectat, pervolvere mihi non licuit.

Inde igitur proficiscamur, ut ab initio accentu versus mensos esse poëtas illos priscos Saturniorum auctores statuamus. Postea hoc prævaluisse usque ad Ennium, qui primus græcorum insistens vestigiis poësim accentu omnino prætermisso in dicionem vindicaret quantitatis. Eam ergo rationem totum hoc genus, quod ad aures doctorum aptum esset et accommodatum, ab Ennio ad Claudianum retinuisse; in ore tamen vulgi accentum, ut a priscis temporibus, ita in carminibus popularibus quodammodo servatum esse principem quasi auctorem. Artem igitur poëticam in duos diductam esse quasi rivos, alterum doctorum quantitati oboedientum, alterum vulgarium accentum colentium. Primo legem quantitatis etiam ad artem illam vulgarem quodammodo vim habuisse; postea autem in dies magis veterem suam vim obtinuisse accentum; arti denique doctorum etiam sese intrusisse.

Ut ea, quæ jam dicimus, ad argumentationem Corssenii referamus, in hexametro — apud doctos poëtas

longe usitatissimo — rationem accentus ictusque inde ab ortu hujus versus usque ad Claudianum eandem fuisse et eandem fere atque apud græcos, i. e. in hexametro doctorum accentum nihil curatum esse constat.

Jam vero ut ad metra transeamus jambica et trochaica, a principio lex quantitatis videtur quodam modo rationem accentus et apud vulgares turbavisse. Sed post sensim, quemadmodum brevi jam in arte vulgari, ita ad postremum etiam apud doctos accentus pristinum occupavit principatum.

In medio autem quodammodo constiterunt comici. Rationi enim quantitatis quamquam omnia fere attribuerunt, ita ut, si ad summam spectemus, parvulum modo contra legem illam sibi indulserint in versu, copiam tamen verborum, in qua versabantur, ita prorsus distinxerunt, ut minime læsa quantitate et offensa accentum quodam modo non neglexerint. Nam ut apud doctos, ita etiam apud vulgares egerunt fabulas; et quoniam sectam, ut ita dicam, literariam græcorum amplexi, artem illam vulgarem spernebant rudissimam, quantitate ita prorsus, ut poscebant leges, quæ tum erant constitutæ, respecta faciebant versus, sed ut et apud vulgus actores ultra fines quosdam in offensione accentus procedere non ausi sunt. Quod si concordiam illam, de qua quærimus, majorem videmus apud Terentium quam apud Plautum, hoc sibi nihil aliud vult quam illum, rudimento doctum auctoris in arte majore scientia utriusque rationis consociandæ versatum esse. Similitudo autem comicorum, quam apud Publilium Syrum et Phædrum haud dubiam esse apparet, quid aliud est quam imitatio illorum summo cum studio atque cura facta? Neque enim tum minus quam olim temporibus comicorum valuit lex quantitatis,

quam quoniam nequaquam lædebant, causa, quæ rem efficiebat apud comicos, oblitterata tamen rationem illorum sine ulla offensione amplecti poterant.

Quid? quod etiam inter senarios versus morem græcorum referentes videmus? Si enim ratio discrepantiæ apud græcos est tertia pars, i. e. nulla ratione adhibita accentus, quum versus panguntur, si tertia quaque arsi accentus ictusque discrepant, tales versus, ut hexametros omittamus, trimetros habemus, quos Senecæ vocant. Atqui ejusmodi est, ut perhibetur, structura linguæ latinæ, ut impediri non possit accentus ictusque coitus. Immo vero, si ritu græcorum versus instituas, id quod effeceris, eandem fere atque illi præbebit rationem.

His, quæ dicimus, consentaneum est et consectarium, ut a principio totum hoc genus poësis latinæ — quamquam nimirum in lingua et quantitas respiceretur — accentus tantum adhibuerit curam, postea autem quantitas exemplo græcorum ab Ennio norma sit introducta — quamquam quidem in usu quotidiano etiam post accentus adhiberetur; in arte quidem doctorum quum in metris trochaicis et jambicis, tum dactylicis putandum est sibi constitisse usque ad observatæ quantitatis interitum ac discissum hujus principatum, ita ut poëtæ accentum ne curarent quidem, comicis tamen exceptis, qui quantitate prorsus adhibita, quoniam ad vulgus pertinerent, institutionem quandam versuum accentui tribuerent neque nisi certis sub condicionibus eum offendere auderent. Apud eos igitur nihil fere credo fuisse certaminis, sed summam concordiam, quum sola regnaret quantitas et accentus oboediret.

Primam igitur sumptionem si commutemus Corssenii de versu Saturnio, mihi videor demonstrasse haud minore

verisimilitudine longe alio, ac voluisset ille, argumenta ejus detorqueri posse. Sine dubio sententiam Ritschelii accentum a principio optime consensisse quantitati falsam esse ostendit; discordia, de qua loquitur, certe ad vulgarem artem pertinet. In arte autem doctorum – excepto illo, quod supra diximus – quantitatem solam regnasse ne Corssenius quidem improbat.

Credulitatis fere est sine argumentis gravioribus rem ita esse, ut supra adumbravimus, putare. Id vero tantum egimus, ut viam longe aliam argumentationem Corssenii quasi digito monstrare ostenderemus, quam quum ingrederemur, ad finem longe diversum pervenimus. Sed ut certum ejus rei judicium assequamur, quæstione opus est aliquanto accuratiore, quam quæ supra a Corssenio in medium allata est. Et compluribus, ut mox comprobabimus, fere viis eundum est, ut si eodem perducant, hunc finem rectum et eum, quo cupierimus pervenire, esse statuamus.

Ex quæstione illa Corssenii, quam paullo supra posuimus, quum concordiam accentus ictusque majorem esse apud latinos haud posse negari putet, hoc ad respondendum sibi proponit, quænam sit causa hujus concordiæ. Neque dubitanter hæc duo promit: *leges accentus* linguæ latinæ *proprias* et – id quod ad eas maxime pertinet – *cæsuram*, quæ breviter vocari potest *trochaica.*

Hæc, quæ proposuit, ut satis comprobet, (pag. 973) græcas comparat voces et latinas et disyllabas et trisyllabas, ut ex variis, quos accentus occupare possit ad quantitatem, locis concludat, in utra lingua singula verba versibus inseri possint, ita ut sæpius accentus ictusque coeant.

Quam subtilem quæstionem et sane abstrusam Corssenius altius repetiit. Namque varias accentus figuras, si ad quantitatem et syllabæ ejus, quæ accentu notata est, et ceterarum spectamus, postquam apud græcos tribus partibus plures numero esse ostendit, ex iis figuris etiam ita, si una vel altera trium ultimarum syllabarum longa sit, novem adeo accentum brevem in locum recipere apud græcos, duas modo apud latinos in medium profert, ex iis autem, quæ longam pænultimam habeant, quattuor hoc pati apud græcos, apud latinos nullam. In lingua ergo latina, quemadmodum accentus sæpius longitudinem quærat, quæ sit citra quartam syllabam, si a fine verbi numeres, ita voces quoque disyllabas vel hyperdisyllabas, longam pænultimam offerentes et accentu notatam, plures exstare demonstrat.

Quod etiam via et ratione quasi numeraria vult probari. Et ex trecenis verbis denis locis Aristophanis et Plauti connumeratis, si ad summam spectamus, apud illum quinquagena invenit esse longam syllabam et simul accentu notatam præbentia, apud hunc prope centena. Talia ergo vocabula apud græcos omnium sextam partem exhibere, tertiam etiam apud latinos.

Altero tanto igitur sæpius concludit in lingua latina quam apud græcos accentum cum longitudine pænultimæ syllabæ coire. Quæ longitudo quum apud latinos accentum ad se sæpius astrinxerit et in pedibus jambicis, trochaicis, dactylicis longa illa syllaba, quæ sit una ex tribus ultimis verbi syllabis, arsim i. e. ictum recipiat, necesse esse putat, quo sæpius coitus accentus longitudinisque illius quam apud græcos fiat, eo sæpius etiam in longitudinem illam inter se accentus ictusque conveniant.

Ne tamen cæcis a principio vestigiis iter prætemptemus, primo jam, quid sit id, quod vocatur 'Tonlänge' a Corssenio, definiamus. Quod ita accepimus, ut sit longitudo, quæ quemlibet locum occupet trium ultimarum syllabarum, i. e. longitudo, quæ accentum recipere possit. Supra igitur compluribus verbis hoc idem, quod dicit 'Tonlänge' illud, exprimere conabar.

Totam ergo illam quæstionem inde repetens, quod — ut postea comprobabo, falso neque jure — dicit arsim versuum i. e. ictum, qui quidem arsim assidue sequatur, longitudinem unius ex tribus ultimis syllabis i. e., quæ 'Tonlänge' vocatur, semper fere occupare, primum Corssenius hoc concludere vult linguam, quæ, quamquam longa syllaba se offerat, brevem tamen sæpius acuat, eo magis etiam discordiæ favere inter accentum et ictum. Nam satis liquet, si longas syllabas ictus amet, ad breves autem accentus facillime admittatur, eo majorem evadere discordiam, quo sæpius, quamvis longa sit syllaba, ad brevem tamen accentus transsiliat. Longæ modo enim syllabæ communis sunt locus, quo inter se possunt convenire. Atqui apud græcos hæ sunt novem variæ accentus figuræ, ubi brevis syllaba, non longa, quamquam est, acuitur (pag. 974):

— ◡́   ◡́ — ◡   — — ◡́   — ◡ ◡́
◡́ —   ◡ — ◡́   — ◡́ ◡   ◡ ◡́ —
— ◡́ —

Apud latinos hæ sunt tantum ejusmodi:

◡́ —   ◡́ ◡ —

Inde*) igitur apparere numerum verborum, ubi accentus longitudinem, quæ 'Tonlänge' vocatur, non oc-

*) Hoc vero minime consensum illum impedire videtur, si brevis syllaba acuatur, modo ne ante longam posita sit, de quo vide infra.

cupet, multo majorem esse apud græcos quam apud latinos, censet.

Quòd nequaquam comprobatum esse putari licet. Nam profecto, si ejusmodi in discrepantiam leges accentus græcorum una ratione illicere certum est, hoc etiam non minus est disquirendum, num forte his eisdem legibus altera ratione ad majorem quam apud latinos consensum lingua græcorum invitet, qua majore in una ratione concordia hæc altera discordia forsitan compensari possit. Quemadmodum igitur huic discrepantiæ eo favere potest lingua græca, quod e legibus suis ad accentum pertinentibus breves syllabas acuit, quas latina lingua non potest acuere, ita fit fortasse, ut illi longas syllabas accentu notent, quas hi contra suas leges acuere non possint. Si enim ictus longas syllabas quærat, liquet prorsus eum in locum accentus eo sæpius irruere, quo sæpius acuat græca lingua longas syllabas, quum latina accentu notare non possit. Neque minus fere apparet longam esse ultimam, quam græca lingua sæpissime accentu notatam præstat, numquam latina. Quales invenimus figuras has:

⏑ –́   ⏑ ⏑ –́   – –́   – – –́   ⏑ – –́   – ⏑ –́

ut ne ultra trisyllabas voces progrediamur.

Et hoc quoque afferre possumus, in figuris verborum, quæ supra sunt, quum ultima syllaba, quamquam brevis natura est, positione longa fit, sive una sive ambæ consonantes literæ ad verbum sequens pertinent, ut in his figuris:

⏑ ⏑́   ⏑ ⏑ ⏑́   – ⏑́   – – ⏑́   ⏑ – ⏑́   – ⏑ ⏑́ + 2 cons.

Haud spernendam sane multitudinem! præsertim quum in lingua græca recordandum sit totum illud genus verborum, quæ ultimam habent contractam et ex nomi-

nibus et ex verbis, si ante contractionem ultima longa fuerit, ad hunc gregem conferendum esse.

Et ejusmodi verbum latina lingua præstat fere nullum. Talibus in verbis igitur magis favet græca lingua accentus ictusque concordiæ. Præceps ergo ferme fuit in argumentatione sua ex eo, quod paullo supra posui, ita concludere Corssenium, ut re minime diu multumque considerata consensum accentus ejusque, quod 'Tonlänge' vocatur, sæpius in latina lingua exhiberi statuat.

Jam vero de iis verbis, quæ longam habent syllabam pænultimam, proprie disputat. Eorum igitur quattuor species græcorum varias profert, quarum quamquam mediam sedem occupat longitudo, brevis tamen syllaba accentum recipit; quæ hæ sunt:

— ◡́   ◡́ — ◡   ◡ — ◡́   — — ◡́

Lingua autem latina ejusmodi præbet nullam. Unde, ut supra diximus, et jure quidem vult conjici majorem esse numerum apud latinos verborum, quæ longam et accentu notatam habent syllabam pænultimam.

Et hoc liquet neque quidquam fere argumenti desiderat. Nam ut totidem vocabula longam præ se ferentia pænultimam utraque lingua ostendat, consectarium fere est, ut lingua, in qua accentus longam pænultimam numquam relinquere possit, plura præbeat vocabula in pænultima syllaba accentu notata quam lingua, ubi ea syllaba accentus nequaquam astrictus sit.

Hoc tantum si voluisset Corssenius ostendere plura vocabula longa cum pænultima acuta latinam linguam præbere, et hæ fere formæ græcorum fuerunt afferendæ:

— —́   —́ — ◡   ◡ — —́   — — —́

Ita enim præterea non minus quam quattuor figuræ in conspectu constitissent, omnes quæ longam pænultimam

haberent non acutam. Sed hæ formæ, quamquam non minus quam, quæ supra sunt quattuor, longam pænultimam præbuissent non acutam, tamen et id ostendissent has formas habere linguam græcam ad coitum accentus et ejus, quæ jam sæpe appellata est, longitudinis pertinentes. Quem coitum, si dissuadent illæ figuræ, hæ tamen prorsus suadent, et quod illæ faciunt discrepantiæ, id his compensatur. Sed hoc non fuisset e re illa, quam defendit.

Ratione quadam numeraria, ut supra dictum est, Corssenius demonstravit numerum verborum, quæ longam pænultimam haberent accentu notatam, altero tanto majorem esse apud latinos quam apud græcos; altero tanto igitur sæpius apud illos accentum cum longitudine pænultimæ i. e. ea, quæ vocatur 'Tonlänge' coire. Longitudinem pænultimæ tantum si quærat arsis i. e. ictus, tum in iis verbis, quæ longam pænultimam habent, eo semper ictus cum accentu coeat. Atqui ejusmodi vocabula latini altero tanto plura præbent: ita ergo in ea certe conveniat cum accentu ictus altero tanto sæpius et in talibus verbis aliquanto quidem latini superent græcorum ejus modi coitus favorem.

Atqui pænultimam longam quærat arsis minime necesse est. Nam et ante et post longa syllaba potest esse, quæ acuatur. Tamen verisimile est — quamquam minime constat, sed tamen verisimile est — quæ longarum altero tanto majorem numerum habeat pænultimarum acutarum lingua, hanc etiam in talibus verbis consensui illi altero tanto sæpius favere. Nam, ut cum nostris mathematicis loquar, dimidia tantum est probabilitas græcorum.

Quid igitur? an recte hoc Corssenius? Minime prorsus. Rem enim paullo accuratius perspiciamus.

Namque apud latinos quum longam pænultimam ictus spernit, subito semper evadit discrepantia; et si ictum nota ʹnotamus, accentum hacˋ, has invenimus quasi figuras:

–̀ –́ –̀   –̀ –́   ⏑⏑ ⏑̀ || ⏑ –́ –̀   –̀ –́ ⏑̀ || ⏑ ⏑⏑

⏑⏑ ⏑̀ || ⏑ –́ ⏑̀ || ⏑   –́ ⏑̀ || ⏑

Ut exempla afferam: pèrsuádènt, stúltì, fàciámùs, pèrsuádèt ille, famìliárìter (quamquam verbum illud et similia hoc modo ictu numquam notantur; sed tamen, si usum non spectamus, intelligi potest), vel fàciámùs illud, frúctùs ĕst.

A prima illa ut facillima ordiamur. In verbo igitur molossico ictus æque ultimam ac pænultimam notare potest; C ergo verborum notant pænultimam L, ultimam cetera L; nam utriusque rei, ut ratione utamur Corssenii, dimidia fere verisimilitudo est. Quamobrem apud latinos consensum accentus ictusque præbent L, L fere discrepantiam. Apud græcos si totidem verba esse longam præbentia pænultimam statuas i. e. C, dimidiam fere partem i. e. L pænultimam acuentia invenias, alteram non, ut supra Corssenius demonstravit. Dein partis, quæ acuit pænultimam, dimidia i. e. XXV ictum in pænultimam, dimidia item XXV in ultimam recipit; illa ergo pars concordiam assequitur, hæc autem discordiam. Cetera L, quæ non acuunt pænultimam, non possunt non accentu notare ultimam; et in his potest ictus cum ultima toties, quoties cum pænultima coire; dimidia pars igitur i. e. XXV concordiam efficiunt, totidem discrepantiam. Profecto igitur et apud græcos in summa e C vocabulis molossicis L concordiam præbent, discrepantiam cetera L, ita prorsus, ut apud latinos. Quippe quod una manu donatur

apud græcos, altera reposcitur. Ita compensatio quædam efficitur.

Et hoc idem ad verba spondiaca pertinet, ut e schemate, quod supra positum est, perbene intelligitur.

Hæc igitur duo genera — molossica dico et spondiaca — e ratiocinatione illa Corssenii verisimilitudinis excipiuntur. Ad eam quanti sint momenti, ratione modo numeraria conjici potest, quod tamen hic longum est. Ejusmodi vero verba longius patere et haud spernendam verborum longam præferentium pænultimam esse multitudinem facillime apparet ob eamque rem ratiocinationem Corssenii valde quasi concutere et quassare.

Adde huc, quod ceteræ quoque, quas supra posuimus, figuræ, in rationem incidunt. Ut enim medias illas eligamus duas, in priore figura ◡ ⏑́ — verbo modo opus est trochaico vel pyrrhichiaco vel in has formas cadente, quod quidem in brevem ultimam ictum recipiat, vel ejusmodi alia ratione effecta complexione quadam, ut in latina lingua concordia illa impediatur. Nullo ita modo apud latinos quidem effici potest hæc concordia. Sed apud græcos quoniam accentus æque ultimam ac pænultimam occupare potest, non minus ad ictum in suum locum recipiendum est paratus; ita fit concordia, quæ apud latinos effici non potest. Quod idem et ad proximam figuram pertinet, modo sequatur vox jambica vel tribrachica vel forma illa aliter facta, et ictum recipiat antepænultima vel ultima syllaba: in lingua latina ita est inevitabilis discordia; apud græcos quoniam acuta potest esse et ultima et antepænultima, hac sub condicione concordia fieri potest. Nam dimidia est verisimilitudo ultimæ vel pænultimæ acutæ. Si non omnino, at tamen ex parte maxima argumentatio illa, quæ supra de verbis

molossicis posita est vel spondiacis, ad has quoque figuras transferenda est. Minime enim hoc me fallit non in eadem ac supra ratione rem versari. Sed quoniam maxime intricata et contorta est utriusque rei verisimilitudinis disquisitio et explicatio, nobis forsitan satis sit demonstrasse vocabulorum omnium longam præferentium pænultimam aliquanto in numero eandem concordiam quam latinos græcos præstare, in certis aliis — etiam in trochaicis; vide supra schema illud — paullo fortasse minorem. Minima nescio an sit concordia illa apud græcos in ea forma, quæ ultimæ proxima posita est; quamquam ne in hac quidem græci spernendi sunt; nam fieri potest apud eos concordia etiam sub condicione certa, quum apud latinos non possit.

Rationem ergo, quam supra posui Corssenii de vocabulis cum longa syllaba pænultima, mihi jam videor ostendisse haud veram esse neque sibi constare. Nonnihil quamquam latini græcis expensum ferre possunt in ejusmodi verbis, hoc tamen certis commodis græci compensant, ut verbis jambicis.

Principio jam disputationis hujus, qua argumentationem Corssenii refellere conatus sum, hoc statui falsis ab initiis eum esse profectum, quoniam ex ultimis tribus verbi longitudinibus unam quærere arsim i. e. ictum sedem diceret. Hanc autem arsim sæpissime solvi tumque brevem syllabam occupare ictum nemo fortasse non confitebitur. Hoc tamen Corssenius in quæstione sua omnino negligit. Quamquam in nulla dubitatione versatur, quin, si omnino disquirere velis, utra in lingua concordiam accentus ictusque facilius assequaris atque ad sententiam minime dubiam pervenire cupias, brevem quoque

syllabam — quæ 'Tonkürze' apte dici potuit — in quæstionem melius fuerit revocare, ictu notatam.

Si enim in varias accentus figuras, brevem syllabam præbentes acutam, quas Corssenius posuit pag. 973, oculos conjicimus, illis tamen exceptis, quas supra tractavimus, majorem aliquanto græci, ut jam monstravit ille, varietatem præstant acuendi.

Nam ut a disyllabis verbis ordiamur, brevem quidem syllabam acutam continentibus, si voces jambicas omittas, quæ in neutra lingua brevi syllaba accentu notata in hunc locum ictum recipiant, et verba trochaica, quæ accentu in ultimum locum revocato hoc loco apud græcos tantum, ut supra demonstravimus, concordiæ illi possunt favere, ad voces pyrrhichiacas transgrediendum est, quæ, utramcumque in syllabam accentum accipiunt (◡́◡́ ◡◡́), in hanc etiam ictum admittere possunt apud græcos ob eamque rem duplicem præbent concordiæ occasionem, quum latini hac una figura ◡́◡ priore modo in syllaba concordiam efficere possint.

Deinde trisyllabas ut jam consideremus, primum ibi in tribrachicas incursitamus, quæ trigeminam apud græcos præferentes occasionem acuendi (◡́◡◡ ◡◡́◡ ◡◡◡́) triplicem etiam offerunt opportunitatem concordiæ illius, quam diu quærimus, præ latinis, qui hoc unum opponere possunt ◡́◡◡. Postea autem ad nomen respondebunt vocabula dactylica, quæ consensum non ita solum efficiunt –́◡◡, sed etiam sic –◡́◡ et sic –◡◡́ contra hoc unum latinum –́◡◡, quod, quum antepænultimam ictus relinquet, discrepantiam semper faciat, necesse est.

Voces vero anapæsticæ magis paullo fortasse stant a latinis; nam unam figuram præbent græci, qua quum utentur, non poterunt vitare discrepantiam, hanc dico ◡◡́—;

una etiam quemadmodum illorum pulcherrimam concordiam efficit ⏑⏑—́, ita etiam sic se habet hæc latinorum ⏑́⏑—; quæ quidem suo quasi loco posita — post cæsuram dico —, consensum suavissimum præbet ob eamque rem latissime patet.

Alteri jam appropinquamus formæ græcorum, quæ semper concordiam prohibet, hanc dico —⏑́—; præterea præstant illam —⏑—́, quæ æque atque hæc una latinorum —́⏑— consensum assequitur; nam utraque in forma ictus, si in primam syllabam recipietur, etiam in ultimam admittetur; nihil tum fere interest, in prima an in ultima inveniatur accentus.

Ceteras vero formas quoniam supra satis tractavimus, jam omittamus. Præteriens modo, ne quid relinquam, id moneo has figuras minime, ut Corssenius statuit, semper discordiam efficere ⏑—⏑́ ——⏑́. De quo vide supra! Errasse quidem illum in hoc, quum ab hoc falso principio proficisceretur ictum longas modo syllabas quærere, jam prorsus intelligi confido.

Ad ea, quæ diximus, hoc quoque forsitan sit addendum: ad concordiam id si in vitio ponit græcorum Corssenius, quod maximam lingua eorum accentus varietatem et figuras præbet, certe errat omnino. Nam minime concordiæ est impedimento, si plura in loca accentus ictusque inter se concurrere et convenire possunt. Immo vero hoc potius disquirere debuit, quando brevis ante longam posita syllaba accentui se subjiciat; nam ita est concordiæ illius prohibens magna talium figurarum varietas. Apud græcos igitur has invenimus ejusmodi figuras ⏑́— ⏑⏑́— —⏑́— ⏑́—⏑, quæ semper, ne coeant accentus ictusque, impediunt. Apud latinos hanc solam ⏑́—. Ea igitur in re latina lingua aliquantum videtur

attribuere concordiæ; et attribuit certe; quod haud negandum est. Sed iterum jam moneamus immenso pæne ex illo grege vocum jambicarum magnam vel potius majorem partem spem haud dubiam concordiæ ostendere apud græcos, apud latinos discordiæ omnes. Et quum totum hoc genus verborum brevem syllabam acuentium perlustramus, minime licet oblivisci in verbis ejus modi figurarum ⏑⏑— —⏑— ⏑—⏑ accentum nequaquam, ut in latinis jambicis, brevem ante longam notare necesse esse, sed in duabus prioribus etiam ultimæ, in postrema non minus ultimæ quam pænultimæ eum posse accidere. Quamquam igitur in græca lingua tot formæ, quæ discrepantiam non evitandam efficiunt, uni opponuntur latinorum, tamen non est, cur ne in his quidem formis, quæ supra sunt, latinos haud dubie præstare putemus.

Totam igitur, quæ ante posita est, quæstionem ut breviter complectamur, Corssenius, quod voluit, minime demonstravit. Nam quum probaverit latinos commoda quædam ad efficiendum consensum habere, alia non minus præbere græcos, quæ operam navent ad concordiam et iis bona illorum recompensentur, ostendere licet. Ceterum facillime confiteor hac ratione rem nondum esse judicatam, quam ut certam redderemus, ratiocinatione opus fuit et comparatione, quam sæpe quæque accentus figura in utraque lingua exstaret, ut, quanti quæque momenti esset ad concordiam, intelligeremus, deinde autem, præ longis syllabis quam sæpe breves ictu notarentur, ut, quam vim hæ, accentum recipientes, in summa afferrent ad consensum, intelligeretur. Aliter enim et sine his quasi fundamentis tota ædes fluit et labat, neque quidquam certi efficitur. Quare quum tam multa sint, quæ invicem sibi resistant vel adjutent, quæ quid per se

singula efficiant, quoniam difficile est ad perscrutandum, pæne fieri non potest, ut, quid omnia simul efficiant, certe dijudices, i. e. utra lingua propter suam structuram concordiæ illi magis faveat, melius erit fortasse campum circumspicere, ubi opus apud utrumque populum iisdem normis institutum invenias, ut, si omnia utriusque linguæ propria libere sint agentia, uno tamen et eodem spectato, quid omnia illa simul efficiant, intelligatur. Unum et idem, quod utrimque spectandum erit, quantitas est. Si igitur invenias quasi regionem, intra quam quantitas sola spectetur, et ibi concordiam utriusque linguæ eandem fere esse ostendetur, tum difficillimum erit contendere ratione sua concordiæ magis favere alterutram linguam, neque posse eam concordiam evitari. Nam omnia illa, quæ quanti pro se quidque essent, æstimare difficillimum erat, ex eo, quod conjunctim efficiunt, facillime judicanda sunt. Et est hic campus, versuum dico hexametrorum et trimetrorum Senecæ. Quid? si, ut supra est, apud Senecam eandem fere discrepantiam atque apud græcos invenimus? si in hexametris latinis paullo minorem? In quibus mirum profecto quantulam reperimus concordiam, quum, ut ostendit vere Corssenius, clausula hujus metri semper fere ei faveat. Si igitur ante recte disputavero, lingua latina rationo et structura sua non magis quam græca concordiæ accentus ictusque favere putanda est. Nonne hoc si consideramus, jure quodam verendum est, ne quid in versibus, qui speciem præ se ferant prorsus dissimilem, alterum quoque præter quantitatem poëtæ spectaverint?

Antequam Corssenium relinquimus, reprehensionem, ne quis forte in nos conjiciat duplicem rei gravioris neglectæ, præcavere velim. Neque enim ignoro equidem

apud comicos latinos certas leges esse, quibus usus brevis syllabæ ictu notatæ circumscribatur, ut in his figuris —◡́ —◡́◡ —◡◡́ ceteris, neque mihi non est satis perspectum commoda illa græcorum ad consensum accentus ictusque in brevibus syllabis pertinentia, quæ supra in medium protulimus, eo non posse non minui; sed eodem a loco, quo Corssenius, profecti leges illas Ritschelianas omisimus, quoniam ille ex quantitate omnia metiens ceterasque curas abjiciens, quum utramque poësim iisdem legibus regi statuit, leges illas spernit et nos cogit demonstrare se, etiamsi ab eodem, quo ille, proficiscaris, recte non statuisse neque, quod vellet, comprobasse. Si enim lex quantitatis unamquamque syllabam, quæ quidem, si brevis est, ante brevem posita sit, ictu posse notari jubet, neque ultimas excipit neque pænultimas, in lingua, quam quantitatis solius contendas esse colentem, quum in duabus linguis ratio, quæ consensum efficit, comparetur, ceteras leges omittas et hoc tantum disquiras necesse est, utra lingua quantitatis solum legibus observatis magis ad consensum illum efficiendum apta sit.

Neque vero hoc me fefellit in hexametro melius fere esse ad concordiam, si breves syllabæ, quum ibi numquam ictu feriri possint, etiam minus sæpe accentu notentur; in metro illo, si breves modo syllabas spectamus, græcos censeo latinis posthabendos esse. Sed in hunc campum, quoniam meum non est hexametros disquirere, alienum mihi visum est descendere. Ceterum ne hæc quidem præstantia latinorum cum clausula illa conjuncta efficit, ut aliquantum a græcis latini hexametri distarent.

Animadversiones, quas Corssenius ad rem criticam Ritschelii a ratione illa accentus observationis profectam fecit, missas jam faciamus. Nam quoad in medio relin-

quendum est, uter recte de hac re senserit, hoc etiam in medio erit relinquendum, num rationem Ritschelianam ad rem criticam recte liceat adhiberi. Tam enim non sumus arrogantes, ut falsam esse sententiam Corssenii nos comprobasse confidamus, sed hoc tantum eum non comprobasse, quod vellet. Jure igitur hæc quæstio usque eo differenda est, dum, uter de consensu, qui quæritur, recte statuerit, vere dijudicatum erit.

Scriptores illi, qui præterea hanc rationem tractaverunt, quoniam longum est, quid disputaverint accuratius exponere, nominum solum eorum mentioni hic erit locus. Alteros igitur, ut L. Muellerum, W. Meierum invenimus sententiæ fere Corssenii auctores esse, alteros autem, ut P. Langen, A. Luchs, Mohr, O. Brugmann, Koehler, Podiaski, vindices esse Ritschelii rationis. Muellerum vero, qui auctoritatem de accentu atque iis, quæ huc pertinent, improbans grammaticorum veterum et ipse, quam is accentus præ se ferat vim et naturam, quamvis e longinquo concludere conatur, quin etiam veteres illos latinos summa ope id egisse, ut in poësi dissentiret ab ictu accentus, contendit, dignus profecto est, qui accuratius tractetur; sed ne multi simus, eum jam sic relinquamus. Et quæstiones illas subtilissimas summamque præ se ferentes inventionem atque ingenium P. Langenii alias fortasse tractare nostrum erit; ceteri, qui a Ritschelio stant, omnes non tam mihi quidquam novi attulisse, quam rationem summi auctoris accuratius persecuti esse atque pertractasse videntur; si quid deesset, addidisse, correxisse, si quid non constaret; ac si copiose et diligenter olim ratio illa disquiretur, certe, quæ in lucem scriptores illi protulerunt, ea summa cum cura est

utenda materia. Hic tamen pauca dicenda sunt de via et ratione, qua finem assequi voluerunt.

Rationem igitur quandam inierunt numerariam. Itaque partem suam quisque ejus, quæ exstat, materiæ eligentes, quæ in quoque pede præbentur formæ verborum, eas summo studio atque cura conquirentes accurate examinaverunt. Quæ formæ prout in quoque pede sæpius vel rarius exstabant, inde regulas quasdam et normas, quando comici discrepantiam probarent, quando non, eruere et constituere conati sunt.

Hæ quidem regulæ eædem fere sunt, atque quas apud Ritschelium invenimus; et quæstiones illæ alio fere non pertinent, quam ut omnibus collectis exemplis formarum, quæ in quoque loco sint, Ritschelianas confirmare; materia tamen sunt et fundamentum haud spernendum, etiam si contrariis a principiis profectus rem, qualis sit, penitus cognoscere velis. Olim fortasse etiam hos ad pertractandos dabitur occasio.

Sic igitur semotis ceteris solus relinquitur Meierus; qui sectam Corssenii amplectitur. Ac profecto eo magis dignus est, qui cognoscatur, quod et ipse sibi et aliis videtur ad hanc quæstionem id attulisse, contra quod jam disputari non possit. Quam ob rem mihi visum est non alienum, quid disseruerit, pressius tamen et summatim modo ante oculos proponere, ut, quo mihi videatur loco, eo, si quid contra dicere placeat, inseram.

Quare a capite, quo de legibus accentus latinis agitur, velut fonte totam ut ducamus quæstionem, quæ de iis disputavit maximi momenti, ea hic breviter sequantur.

Ante tamen hoc ponamus toto de illo genere hæc duo eum nobis videri errasse: unum, quod longas modo syllabas ictum quærere contendit; alterum, quod rationem

modo et structuram latinæ linguæ explicandam sibi esse credidit et perscrutandam. Quæ paullo infra satis patebunt.

Hoc igitur quum primum statuit, quæ quantitatem modo in poësi observet lingua, in ea concordiam, quam poëtæ assequantur, inde áptam esse, num quantitate aliquo modo accentus astrictus sit, errat vehementer. Nam aut longas tantum aut breves tantum si quæreret ictus syllabas, tum res sic se haberet; sed quum ambas promiscue occupet, lex illa ita mutetur, ut in medium sic sit proferenda: concordia major sit an minor, ex eo primum pendet, utrum rarius an sæpius ita accentus quantitate astrictus sit, ut syllaba, quæ accentu notetur, ictu non possit occupari, deinde autem, quam sæpe syllabæ præbeantur, quæ ictu quidem, non accentu occupari possint. Hæc igitur duo in linguis quærenda sunt et comparanda; et si hoc certe comprobatum erit præcipue alterutrum genus ictum quærere, tum demum comparatione cognoscendum est, utra lingua hoc genus accentu notatum præstet præcipue.

Jam vero si accentus quantitatem syllabarum non curet i. e. aut longas aut breves tantum notet, ut fors ferat, tum cum accentu coire ictum, tum non disputat Meierus. Sed quum hoc ad utramque fere linguam pertineat, quod accentus altero tantum genere syllabarum non astrictus est, utriusque etiam linguæ fors illa obtinet regnum, non græcæ modo, ut ait Meierus, ob eamque rem leges, quibus fors illa concordiam assequitur, in utraque lingua in lucem proferendæ sunt. Meierus autem intra latinam consistit et, quum qua re excellere hanc linguam invenit, nullam apud græcos quærens compensationem, linguam eorum sic victam esse contendit.

Quantitatem vero si spectat accentus i. e. alterutrum tantum genus syllabarum quærit, longæ accentum attrahere possunt: tum censet Meierus ictus semper cum accentu coeat necesse esse. Quod falsum esse ex hoc uno intelligitur: fòrtúnàm. Utique postremum concordiam majorem evadere, si qua in lingua accentus longas syllabas præcipue cupiat obtinere, quam si ne minime quidem longitudinem curet, verisimile esse concludit. Et longas tantum dummodo quærat ictus, hoc mihi quoque consentaneum esse videtur; sed ne sinas e recordatione excidere longarum ultimarum obtinere posse accentum magnam multitudinem apud græcos, ideoque minus intersit, num majorem quoddam numerum vocabulorum longam acuentium pænultimam ostendant latini, neve obliviscas non minore fere amore ictum apud comicos quidem breves etiam syllabas quærere.*) Nam non plus quam unus pes

*) At enim ratiocinatione simplicissima non tam sæpe breves quam longas ictu occupari syllabas facillimum est demonstrare. Hoc verum est; sed supra hoc non statui longas syllabas non sæpius ictu occupari, sed tantum eodem fere amore quæri breves. Constat nimirum pluribus locis in versu ictum longitudinibus recipi: quomodo tum recte statuimus æque libenter breves ac longas ictum quærere?

Haudquaquam mirum est, si brevium minorem numerum reperias, quas ictus occupaverit; nam

a) etiamsi eundem numerum æquant et longæ syllabæ et breves, quod, ut paullo infra videbimus, nequaquam statuere licet, non tam sæpe brevis quam longa ictui idonea occurrit. Longarum enim nulla fere non potest ictum recipere; breves nullo modo nisi brevi sequente ictum admittunt. Propterea ex brevibus syllabis, quæ initio verbi vel intra verbum positæ sunt, magna vel potius, ut eadem, qua antea, utamur ratione, dimidia fere pars longa syllaba excipitur ideoque ictum respuit. Et breves ultimæ, quas crederes ad ictum recipiendum aptissimas, ut sunt, rarissime ictu notatæ

senarii jambici solutionem non admittit, ultimum dicimus; ubi tamen, longa an brevis sit ultima syllaba, nihil refert. Ne si longas quidem tantum syllabas ictus præcipue persequatur, mihi satis comprobatum esse videtur harum latinam linguam majorem præbere numerum accentu notatarum.

Disyllabis vero vocabulis, quæ in latina lingua sunt, ad concordiam Meierus nihil attribuit momenti. Quod tamen falsum est. Ratio enim verisimilitudinis, qualem ipse attulit, si locupletum testium habenda est in numero, ex his verbis spondiaca vocabula et pyrrhichiaca nullam fere vim habebunt, ut non minus concordiam quam discordiam promiscue efficientia; trochaica autem si non dimidia ex parte, attamen magna ex parte discordiam assequuntur, jambica autem verba discrepantiam certe efficiunt omnia; plus sine dubio verbis disyllabis discordiæ quam concordiæ fit. De qua re vide hoc schema,


---

inveniuntur. Ita etiam se habet pænultima harum figurarum —◡◡ ◡◡◡. Tanto igitur campo ictui negato ne breves admireris, cur rariores invenias ictu notatas. Sed hoc si statuas ab accentus cura profectum esse, in ratione subducenda et in utraque lingua comparanda e ratiocinatione excidere necesse est;

b) atqui nequaquam numero totidem sunt breves, quod quidem ad ultimas attinet; nam plerumque natura brevis ultima positione producitur, ut longa prorsus accipi possit.

Verbum igitur quæras necesse est, ubi omnino semota ratione accentus brevem syllabam, ictui aptam, longæ æquare possis. Et quoad hanc formam 'àliquo' rarius exstare quam 'aliquò', 'fàciamùs' quam 'faciàmus' non comprobatum erit, hoc nobis in ratione ineunda statuendum est: ictum in hoc tam circumscripto brevium numero non magis breves, quæ quidem eo occupari possint, quam longas syllabas repudiare. Neque in ratione mea (vide pag. 37, 39) quidquam aliud statui quam, in eodem verbo et brevi et longa syllaba proposita utraque ictui commoda, eum non minus illam quam hanc occupare.

ubi rationis facilius ineundæ causa numerum quemlibet supra primam figuram posuimus neque minus breves quam longas syllabas ictu occupari sivimus.



Ex qua ratiocinatione, cui ne ita multum credamus, concludi potest disyllaborum verborum in lingua latina discordiam haud compensandam facere quartam partem, apud græcos adeo nihil plus discordiæ effici, ut contra concordiam octava pars alia haud compensandam discordia ostendat.

In hexametro res aliter cadit; sed nunc de comicis quærimus.


Trisyllabas autem vel hypertrisyllabas discrimen facere ait jam Meierus; nam semper quantitatem accentu spectari i. e. eum longitudini accidere. Quod non verum esse verba istius speciei: 'fácilis' demonstrant.

Rationem vero probabilitatis jam posuit, qua tribus in partibus verborum hyperdisyllaborum ictum cum accentu coire posse ostendere conatur. Posse recte ille quidem; sed non posse non coire hoc non arguit, neque nullam compensationem græcorum linguam præstare posse. Supra tamen jam ostendere conatus sum, quam nihil ejusmodi ratione, quum, quanti quidque sit omnium, quæ pro concordia navent operam vel contra concordiam, æstimare non possis, confidere liceat. Et ego rationem probabilitatis habebo; ad finem longe diversum, modo aliud, fortasse rectius, sumpseris, pervenias. Breves syllabas Meierus aversatur; minus fortasse erres, si ab hoc quasi fundamento profectus sis, breves syllabas tam libenter quam longas ictu quæri, quam breves omnino si spernas.*) Ceterum non nihil inter se forsitan errores compensentur. More igitur Meieri octo quasi figuras verborum trisyllaborum omnes eundem numerum æquare hoc jam sumo atque id cognoscere studeo, quo quæque modo ictus cum accentu adjutet coitum.

Hæc ratio mea linguam spectat, quæ nihil in poësi præter quantitatem curet, i. e. quæ ictum patiatur longas syllabas quærere omnes nulla excepta, brevem autem, quam quidem brevis sequatur.

---

*) Vide supra, pag. 35.



Lingua latina: Vide supra!
Vide supra!
Lingua græca: Vide supra!
Vide supra!
Vide infra!
Lingua græca:

Verb. fig.	Concordia: Lingua lat.	Concordia: Lingua græca	Discordia: Lingua lat.	Discordia: Lingua græca
— — —	18	18	18	18
⏑ — —	18	18	18	18
— ⏑ —	36	18	—	18
⏑ ⏑ —	18	9	18	27
— — ⏑	18	18	18	18
⏑ — ⏑	18	12	18	24
— ⏑ ⏑	18	18	18	18
⏑ ⏑ ⏑	12	12	24	24
Summa	156	123	132	165

Hyperdisyllabis igitur ex 288 duodecim plus quam dimidiam partem concordiam efficere apud latinos, apud græcos una et viginti minus quam illam partem videmus. Quod si eo lanx græcorum deprimitur, id non est obliviscendum voces jambicas in eam imponi posse, quo libra paribus ponderibus examinetur. Nam discrimen illud, quo græcos latini superant, est trium et triginta verborum i. e. omnium hyperdisyllaborum octava fere pars; et in disyllabis verbis id, quo græci ad concordiam vincebant, octava etiam fere pars fuit; eodem igitur modo concordiæ utraque lingua forsitan faveat.

Quæ ratio mea si non certior est quam Meieri, tamen undique magis conquirit initia atque omnes partes et commoda utriusque linguæ et detrimenta accuratius comparat. Neque est, hoc contendere ausim, minus certa. Quamquam hanc illam ratiocinationem dubiam vel potius falsam esse haud difficile est ad comprobandum. Nam discrepantiam, modo ratio illa vera esset, arsium omnium apud græcos dimidia fere pars præberet; atqui, ut numeraria ratione Corssenius demonstravit, pugnam illam

tertia modo fere pars efficit. Errorem igitur in ratiocinatione illa inesse facile apparebit; neque enim omnia, quæ efficiunt concordiam, recte in rationem incidunt.

Ne Meierum quidem evicisse majorem concordiam necessario fieri in lingua latina ostendere conatus sum. Hoc etiam profecto difficillimum est, quum, ut supra positum est, versibus Senecæ eadem atque apud græcos concordia inveniatur et tantillo hoc superent hexametri latini. Hæc sunt, quæ negari non possint. Ratio autem probabilitatis, in qua, quum multa noveris, multa non, quæ ad rem pertineant, quæsi cæcus inambules, fidem habet ac vim minorem.

Summa jam Meierus cum diligentia et cura ad reliquum opus transgreditur. Græcos quoniam latini ad imitandum sibi proposuerint, primum leges, quæ apud illos in jambicis versibus ac trochaicis valuerint, investigandas et perscrutandas esse censet. Quas quum satis se credit perspexisse, cum iis, quæ expromsit sua quidem sententia certa neque dubia, normas comparat et regulas, quas accuratius spectantes comici latini versus suos pepigerunt. Et præterquam quod latini longam syllabam in omnes fere locos præter ultimam thesim eorum versuum, qui in jambum cadunt, admiserunt, et binas illas brevitates etiam in theses versuum trochaicorum receperunt, quod quidem hic leviter modo perstringendum est, hæc fere invenit, quibus latinos a græcis distare aliquantum statuit:

a) legem, quam vocavit dipodiæ;

b) verba monosyllaba et a fine versuum jambicorum et a loco, qui est ante trochaicam cæsuram, exclusa esse;

c) cæsuram trochaicam apud latinos accuratius et diligentius observatam esse quam apud græcos;

d) ambas breves syllabas, quæ verbum finiant, numquam in arsim incidere;

e) postremo jambum uno loco omnino fere esse exclusum.

Legem igitur, quæ vocatur dipodiæ, ita vult definire, ut eam esse intelligatur, quæ ultima syllaba verbi spondiaci vel in spondeum cadentis et anapæsticum vel in anapæstum desinentis vetet arses parium locorum dipodiæ jambicæ vel trochaicæ occupari. Mirum quantum hoc ad accentus ictusque concordiam adjuvare necesse est; nam ubi jambica vox ultima syllaba arsim illam non occupat, certe, quoniam verbis spondiacis vel in spondeum desinentibus vel anapæsticis hæc licentia non præbetur, necessario fit concordia.

Quam legem, ut supra scriptum est, ab Hermanno primo inventam et prolegomenis Ritschelii si non satis expressam, at tamen bene confirmatam, minime primus indagavit Meierus. Ei autem soli hoc est attribuendum, quod legi nomen illud indidit.

Magnam igitur partem illam, quæ apud comicos exhibetur, concordiam ad hanc, quam dicit legem dipodiæ, revocat. Ultimam enim syllabam (cfr Meieri commentationem pag. 106) ictu notatam tanta vi in aures quasi intorqueri, ut propterea eam proprie respexisse poëtas facile appareat. Quam ob rem ultimam syllabam verbi spondiaci vel anapæstici poëtas pares arses occupare vetuisse; inde igitur concordiam.

Sed hæc duo genera vocabulorum cur tam injuste insectati sint, de hac re ille nihil. Propriam et unicam curam finibus ictu notatis poëtas attribuisse Meierus contendit; cur non item jambicis? Ad arbitrium ergo quoniam ultimas illas syllabas semel elegerint, comicos hoc concordiæ fortuito dedisse putat, non eam spectantes.

Quod quam nihil rationem reddat legis dipodiæ, in aperto prorsus est. Et vereor, ne, si rationem promere velis et causam probabilem, ad curam illam accentus confugias necesse sit.

Neque enim *longam* omnino syllabam caverunt, ne utrumlibet locum aut arsim aut thesim quæreret, quoniam ejusmodi syllabæ utrovis loco sæpissime occurrimus, neque *ultimam* syllabam, modo longa esset, vetuerunt quemlibet locum occupare; nam ubique fere jambicas invenimus voces sic usurpatas. Neque ultimas igitur per se syllabas neque longas spectabant; alio quodam modo eam syllabam insignitam esse oportebat, quam certis locis ejicere voluerunt. Ac responsum si circumspicimus quæstioni, fere in manu est: syllabam *longam* et *accentu simul notatam* comicos in omnes locos non recepisse. Et ut non per se spondeus, ita ne anapæstus quidem per se certis locis excludebatur; nam voces illæ mĕdĕcīna, rĕtĭnētis ubique fere quasi suum in locum admittebantur; neque vero, ut a verbis jambicis intelligitur, longa ultima per se paribus locis ejiciebatur; sed binis brevibus syllabis, quarum unam accentus notabat, verbi anapæstici thesim insidere non licebat.

Itaque velim intellectum legem sic debere constitui: longa pænultima vel brevis antepænultima accentu notata ne theses pares metri jambici vel theses impares trochaici metri occupet.

Unde igitur petita contendit Meierus hac lege concordiam effici? Est certe, inquit, et fit concordia; concordiam, inquimus, poëtæ fieri cupiebant et legem constituerunt. Uter recte sentit? Fieri fortasse non potest, ut dijudices; sed hoc sine dubio affirmaverim rationem, quam exposuit ille, minus verisimilem quam nostram

esse. Olim fortasse meliorem quispiam proferet; sed nunc mihi difficillimum videtur comicos nullam prorsus curam accentui attribuisse contendere, quum in aperto pæne sit eos *syllabas certas accentu notatas in certos locos* non admisisse.

De causa, quæ hanc legem dipodiæ effecit, brevem nobis liceat facere conjecturam. Cujus quæstionis a græcis initium petimus.

Verisimile est in metro jambico vel trochaico, a principió fortasse puro i. e. omnes arses longis syllabis, omnes theses brevibus occupante, longitudines in quosdam locos injectas esse, ne similes prorsus et eodem usque numero pedum versus in aures inciderent neve nisi fractus quodammodo varietatem quandam præ se ferret numerus. Quæ tamen varietas ne in lasciviam delaberetur et metri corruptionem, lex ea constituta, ut altera quæque thesis jambicæ dipodiæ brevis tantummodo esset, ut primo pede quasi fluctuaret metrum et hæsitaret, deinde altero stabiliretur. Nam quemadmodum primus pes, si est spondiacus ideoque non minus in primam quam in alteram syllabam ictum recipit, in lubrico relinquit eum, qui legit, ita alter pes, qui quin una legatur ratione, nequaquam fieri potest, legitimum revocat ad numerum. Et ejus ratio ut sedulo versus initio celatur, ita sub finem puro tantum pede revelanda est. Totus enim versus eo est dipodiæ simillimus, quod hac cæcitatis et ad postremum lucis varietate delectatur.

Jam vero causam, cur alterum prorsus jambicæ dipodiæ pedem, ut brevitatem minime obvelatam exprimeret, poëtæ elegerint, altius fere repetamus. Ingenii enim cujusdam acerrimi est genus jambicum et fortissimi; et ut id, quod summa primo contentione adhibita post

ad demissionem corrumpitur et languorem, ignaviam etiam præ se fert, ita id, quod a parvis principiis sensim ad vim et contentionem subrepsit, admiratione quadam virtutis et nervorum sæpius sibi nos conciliat. Si hoc ad metra, quæ ex pedibus constant disyllabis, transfertur, quorum in dipodiis unum ictum invenimus principem, in jambicis, quorum natura vehementior est, hoc ictu alterum dipodiæ pedem obtineri videmus, in trochaicis autem, quæ mitiorem rationem præferunt, principalem illum ictum priorem dipodiæ esse. In illo genere vehementi re ipsa fit, ut principalis ictus præ se habeat brevem syllabam, hoc in genere post se. Quorsus igitur hæc? Eum ictum ut legitima syllaba summa vi sine ullo obstaculo ad se attraheret, constitutum est, ut proxima syllaba semper brevis esset. Nam longa syllaba vim semper quandam sibi assumit neque proximam patitur summa vocis contentione pronuntiari, sed in primo pede arte etiam ictus proxima longa syllaba quodammodo supprimitur, et hoc quæsitum est, ut quasi frangeretur et celaretur numerus.

Hoc si verum est, neque apud latinos hæc, quæ vocatur lex dipodiæ, in se habet quidquam admirationis et ad nihilum fere recidunt nonnulla, quæ animadvertit Meierus et reprehendit. Nam si eandem vim et apud eos ictus principalis habebat, aliquid certe ei attribuere necesse erat. Et quamquam longas syllabas in omnes fere locos admittebant, unum tamen genus excipiebant vel ante ictum principalem, ut in metro jambico, vel post eum, ut in metro trochaico, longarum dico syllabarum accentu notatarum vel binarum brevium, quas voces anapæsticæ ostendebant. Et hoc mihi jam videtur dignum esse, ut afferatur, quod, quamquam græci comici tantum

inter spondeum et anapæstum interesse censebant, ut numquam in pedem ictus principalis admitterent illum, hunc autem facillime ibi paterentur, ob eamque rem in jambicis saltem versibus duas breves syllabas minime eandem præ se ferre inertiam et pondus atque unam longam putabant, latini tamen exemplum illorum non sequentes anapæstum quoque, si syllaba, quæ accentu notatur, in thesim ictui principi finitimam cadebat, sic usurpari vetabant. Cur tandem non sibi assumpserunt in anapæsticis verbis eandem ac græci licentiam? Cura, inquam, accentus adducti voces et anapæsticas et spondiacas certis tantum locis latini comici posuerunt.

Nam necesse erat, si vim et rationem generis jambici abjicere noluerunt, ita ictum principalem quasi circummuniri, ut totam molem suam nihil resistentibus vicinis posset contorquere. Itaque syllaba, quam principalis ictus occuparet, ut longior semper esset quam ea, qua vox quasi impetum caperet ad ictum, vel ea, quæ — ut in trochæis — longitudine ictus supprimeretur et obscuraretur, constitutum est. Ita in versibus jambicis — ut de iis solum loquamur, nam hoc et ad trochaicos transferri potest — syllabæ illi principali, sive longa est neque accentu notata, brevem præcedere oportet, sive longa est et notata accentu, aut brevem aut longam aut binas breves. De monosyllabis non loquimur verbis, quoniam contextu verborum accentum possunt amittere; hoc et ad voces pertinet pyrrhichiacas. Duo igitur genera syllabarum, quæ quidem accentu notatæ sunt, a loco, qui est ante principalem, excluduntur, longas dico et ex brevibus binas, quas præbent voces anapæsticæ.

Verisimilem mihi jam videor exposuisse rationem, cur etiam apud latinos lex quædam dipodiæ constitueretur.

Melius forsasse quam Meierus; nam nullam fere exposuit ille.

Restat, ut illi nonnulla de hac lege interroganti pauca respondeam.

Quare igitur in senario jambico spondiaca verba ita, ut cum verbo etiam pes finiretur, in primum modo et quintum pedem admiserint comici, pag. 16 quærit. Ad hoc mihi facillimum videtur respondere: ne nimis inde ab initio in aures tamquam pedis supplosione in aures numerus versuum et modus inculcaretur, et variationis cujusdam causa in primum locum etiam voces, quæ aliunde erant exclusæ, admittebantur, ut hæ figuræ: — — — ◡ ‖ ◡ ◡ ◡ — — ◡ ◡; eo pedis illius licentia revocanda est. Neque credamus voces dactylicas ne hic quidem hunc ictum recepisse — ◡́ ◡ neque spondiacas vel trochaicas hunc — –́ vel hunc — ◡́ ‖ ◡; minime vero; ut enim fert natura et usus quotidianus, naturali quodam sono pervenisse ad aures has figuras conjiciamus. Altero demum pede ad verum numerum ventum esse.

Exemplum ut a vernacula quoque lingua petamus, Tegnerianum illud nobis liceat revocare in memoriam, vitiosum fortasse et minus aptum e numero, sed tamen hoc nostrum satis dilucide illustrans:

'*Jord, som mig* fostrat har och fädrens aska gömmer,
Folk, som ärft hjeltars land och deras dygder glömmer' etc.

Neque mirum debet videri quinto loco (vide Meierum pag. 16) in thesi longam syllabam arte prorsus quæsitam esse. Nam verisimile est, quum aliter celerius ad finem curreret versus, vinculo quodam, quo clariore in luce contrario ostento se præberet finis jambicus, veteres impetum reprimere voluisse, varietatem cupientes. Et invenimus in hanc thesim dedita opera syllabam accentu

notatam intrusam esse; ut apud Terentium vocabŭla molossica hic fere sæpissime usurpari videre licet. Haud ineptum videtur in nostra lingua commemorare illud minime rarissimum, quod fracto quodammodo numero miram affert suavitatem:

apud Tegnerum:

'ătt hār *dŭ* sīttĕr, āttj *jăg* hēlsăr dīg';

et illud Runebergii:

'Sven Dufvas fader var sergeant, *ă*fdankad, arm och grå';
ubi theses longitudine pronuntiantur et contentione, qua metrum frangitur. Ejusdem generis est hoc, quod in quinto pede trimetri jambici observatum est a comicis et adeo placitum est, ut ad regulæ constantiam redactum sit. Et hic igitur cura accentus cognosci potest.

Mirum et hoc Meiero videtur, quod voces anapæsticæ, quum ultima ictu notata non plus quam jambicæ aures offenderent — ánimòs non plus quam érànt — certis tamen regulis astricti sunt, non jambicæ. Scilicet accentus, cui tres syllabæ subjiciuntur, validior erat et gravior, quam ut negligeretur in versu faciendo; in vocibus jambicis accentum duas modo syllabas attollere opus erat, ob eamque rem is omitti potuit.

At enim aliis longe temporibus, quibus nequaquam affirmes accentum in poësi ullas partes egisse, eadem fere hæc dipodiæ lex etiam majore cura et severitate a Syro et Phædro observata est. Quid igitur? nonne ad nihilum redacta est tota hæc mentio de accentus apud comicos observatione? Minime, inquam; nam ut ab alia quadam regione deducamus similitudinem, si veteres statuas et priscas, quas, quum ad aliquam demum perfectionem perventum est, non ad summum fastigium et naturam, fabricaverunt antiqui, velut symplegma tympani,

quod Aeginetarum vocatur, ex certis indiciis cognoscere possis, ut cincinnis omnibus eodem fere modo compositis, ut rugis togæ minime veritatem vestitus præferentibus, et duritate vultus, egone ut, si ex his indiciis conjicere velim fuisse tum in illis artificibus inscitiam quandam melius veritatem imitandi, et hoc jure concludam, temporibus Hadriani, quod tum quoque signa ejusdem speciei fabricata sint, eandem fuisse inscitiam; quamquam simulacra etiam illius ætatis summa veritatis perfectione vidimus præstantia. Immo vero duritatem et ruditatem priscorum illorum temporum non inscitia sua coacti, sed novitatem quandam affectantes imitabantur.

Quod idem et ad scriptores illos transferri potest. In tanta enim ubique græcorum imitatione novitatis fere erat comicos illos veteres quasi resurgere; et ut is, qui quem imitatur, proprietates ejus tamquam exaggerat, ita imitatores illi, quum leges quasdam et regulas invenissent, ut veram afferrent similitudinem, numquam fere leges illas violabant. Et licuit imitari; nam etiam comici quantitatem primam spectabant. Leges autem, quæ concordiæ illi favebant, potuerunt observare imitatores; nam nihil erat obstaculi; sed ut in signis illis Hadrianeis, ita in his versibus causa, quæ proprietatem utriusque generis effecerat, jam evanuerat. Et severitas illa nimis religiosa scholam certe redolet.

De cæsura quæ disputavit Meierus, brevius complectamur. Quemadmodum verba monosyllaba apud græcos neque ante trochaicam cæsuram neque in versuum fine in se habebant quidquam offensionis, ita accuratius ea utrobique evitabant latini. Hanc petit Meierus etiam a græcis originem. In septenariis enim jambicis Aristophaneis vocabula monosyllaba (pag. 49) statuit rariora esse,

quamvis alibi usitatissima; quam severitatem comicos latinos majore etiam religione observatam in fines versuum jambicos et locos, qui sunt ante trochaicam cæsuram, traduxisse (vide pag. 52). Atqui (pag. 49) contendit Meierus in fine trochaico lege quadam liberiore quam græcos usos esse priscos illos latinos, ita ut eo monosyllaba verba admitterent. Miram profecto conclusionem! Ubi enim legem illam cognoverunt, ibi missam faciunt; locis autem rationis longe diversæ tanta severitate regulam illam observarunt, ut numquam fere violarint. Ceterum vide annotationem pag. 49; plurimi fines constant ex pronominibus vel formis verbi 'esse'; vereor, ne et in fine trochaico lex, quæ de monosyllabis verbis constituta est, apud latinos non violetur. Hac igitur via verisimile est non introductam esse eam; videndum est, nonne e ratione lingua ipsius sit expromenda.

Primum jam aliquantum interest, utrum a loco, qui est ante trochaicam cæsuram ejusmodi verba excludas an a fine jambico; nam illic verbum accentuatum, si voce nova licet uti, accentum omnino perdere oportebat, hic nimium recipit. Ut enim in clausula hexametri, ita etiam ante trochaicam cæsuram verbum monosyllabum non adeo, ut oportet, syllabæ accentu carentis partes agere potest, ita ut rite cadat versus ad finem vel cæsuram; sed versus frangitur magis quam bene sonat. Quodsi ejusmodi verbum in fine versus jambici positum est, tum fit concordia illa quidem; sed majore quadam vi in aures intorquetur syllaba, quæ non modo ictu, sed etiam accentu acuitur; et in versibus, quos ad sermonem quotidianum propius accedere oportebat, non jucundum erat neque suave finem uniuscujusque versus in aures quasi inculcari: 'hic jam finis est'. Hoc enim et in nostra

lingua fine virili versus jambici sæpius, quam suave est, efficitur, ut Tegnerianum illud:

'Dig söfver smickrets *röst*, hör sanningens en *gång!*'

Causis igitur longe diversis ante trochaicam cæsuram et fine jambico monosyllaba exclusa sunt. Curam autem accentus non esse non spectatam verisimile est.

Si igitur a trochaica cæsura ablegata sunt monosyllaba verba, nimirum ut ante eam, ita etiam post sæpius fit concordia. Hoc jam Corssenius et alii demonstraverunt. Quid ergo? ad concordiam quid adjuvaret cæsura illa, nonne comici intellexerunt? Certe quidem; ita enim religiose in trimetro jambico vel septenario trochaico cæsuram observabant, vix ut ullus versus, qui careat illa, reperiri possit. Et secus longe græci comici.

At jambicam quoque cæsuram, quam sæpius facere discordiam consentaneum est, eadem accuratione observavit Plautus, qua trochaicam, idque in septenario et octonario jambico. Vere monitum est; variationis enim et delectationis causa etiam his modis Plautus usus est; et quoniam septenarius jambicus finem habet trochaicum, necesse erat, ut similitudo evitaretur, jambica cæsura usurparetur; et propter longitudinem versuum poëtæ necessitas cæsuram quandam semper observandi extorta est. Sed hæc mihi jam commonenda esse videntur:

1) ad jambicam cæsuram discordiam fieri minime necesse esse; post eam his figuris efficitur concordia; ⏓ –́ ⏓; ⏓ ⏑́ ⏑ ⏓; ⏑ ⏑ –́ ⏒; his autem discordia: ⏓́ –; ⏑́ ⏑ ⏓;

2) etiam ante cæsuram illam concordiam effici posse, si verbum ibi ponas monosyllabum, hoc autem Plautum sæpe observasse, ut:

'Quor nón venisti, ut jússeram *in* || tonstrínam. Hic me morátust';

3) septenario jambico comicos non ita multum delectatos esse, quum ejus generis habeat Plautus 1200, Terentius 380 tantum versus; cfr 8000 senarios jambicos et 8000 trochaicos septenarios apud Plautum;

4) in septenario quoque jambico Terentium sæpe legitimam cæsuram omisisse, Plauto in paucis versibus auctore, et trochaicam adhibuisse;

5) octonarium jambicum a Plauto aut in binos versus divisum esse — hiatu et syllaba ancipite adhibitis — aut cæsura trochaica abscisum esse;

6) Terentium autem longe maximam hujus generis partem trochaica cæsura discidisse ob eamque rem hoc genus apud eum magni æstimatum esse (cfr apud eum: senarios jambicos 3000, trochaicos septenarios 1200, octonarios jambicos 800 — apud Plautum 300 tantum — jambicos septenarios 380).

Quod de cæsura disputavimus, jam ut breviter complectamur, trochaica cæsura nobis videtur quæsita esse, jambica usurpata illa quidem, sed, ubi ferebat occasio, relegata. Et hujus rei curam accentus putamus esse causam et quasi fundamentum.

Ad argumentum, quod accentus curæ defensores vel gravissimum statuerunt, jam transgrediamur. Duas breves ultimas syllabas verbi hyperdisyllabi numquam in arsim incidere jamdiu cognitum est et ei, qui legit comicos, facile occurrit. Ita nulla sub condicione in jambicos, trochaicos, bacchiacos versus hæ ictus figuræ admittuntur — ◡́ ◡ ◡ ◡́ ◡; in versus anapæsticos admissas esse eas atque ibi longius patere contendit Spengelius; quamquam hoc magnam habere dubitationem credas necesse est; nam quum omnes fere licentias conquisivit vir ille doctissimus, totum illum gregem in hoc

genus anapæsticum contulit. Accuratiore profecto opus est quæstione, ut certum hoc credas; nobis tamen jam satis erit incertam esse rem neque comprobatam commonuisse.

Primum igitur Meierus ostendit apud græcos hanc ictus figuram esse rarissimam –́ ⏑ ⏑ || –́; sæpissime autem exstare has: — ⏑́ ⏑; ⏑ ⏑́ ⏑*). Auctores sequentes græcos formas, ut hæc est: 'omnia nunc', evitarunt comici; sed cur idem sequentes exemplum has formas omnia facilia non probabant? Censet Meierus utriusque generis figuras et –́ ⏑ ⏑ et — ⏑́ ⏑ eodem modo tractatas fuisse, et, quoniam illæ non adhiberentur, ne has quidem esse adhibitas.**) Quæ ratio profecto minime est probabilis; nam ita distant inter se illud –́ ⏑ ⏑, ubi thesim occupant brevitates, et illud — ⏑́ ⏑, ubi arsim, ut, præsertim quum græci certam dissimilitudinem inesse putarent, nihil esset, cur, quoniam illud rejiceretur, et hoc rejiciendum esset. In contextu anapæstico vel jambico alienos græcos fuisse a talibus formis –́ ⏑ ⏑ || –́ certum est neque mirum; nam summa ope cautum est, ne vis anapæstica vel jambica ad tranquillitatem dactylorum transgrederetur***); sed hæc forma — ⏑́ ⏑ nihil præ se ferebat alieni vel nimis tranquilli; propterea et sæpissime a græcis in jambos admittebatur. Propriam igitur quandam causam latinos habuisse, cur illud ⏑⏑ ⏑́ ⏑ aspernarentur, verisimile est; ac si rationem circumspici-

*) Addi potuit apud utriusque gentis poëtas hanc esse usitatissimam ⏑́ ⏑ ⏑.

**) Cur non item et ⏑́ ⏑ ⏑ et ⏑ ⏑́ ⏑ ejiciebantur?

***) Eandem ob causam et hæc figura evitata est: –́ ⏑ || ⏑ –́

mus, minime nova nobis est eruenda causa, sed solita illa et pæne ad satietatem decantata: *accentus cura* hunc modum ictu feriendi fugiebant ⏑̲ ⏑̀ ⏑.

Ad finem jam commentationis hujus Meieri cognoscendæ perventum est. Neque vero quantum profecerim, quantulumcumque erit, me pœnitet. Ex una enim hac accentus ratione omnes proprietates et dissimilitudines, quibus a græcis latini distant, quasi ex uno fonte hauriri possunt. Has vero dissimilitudines esse et hanc subesse causam concordiæ ictus accentusque, quæ apud latinos major est, contendit Meierus, non tamen ita, ut probabilem causam investigare possit, quæ omnes illas dissimilitudines efficiat. Nos vero invertimus rationem; nihil tamen aliud comprobavimus nisi accentum omnium illorum causam esse posse, non esse. Et si hoc verum est, quod illi nostri, qui in rerum natura versantur, ut physici, astronomi, ceteri, statuunt, rationem esse magis verisimilem, quo plura ex ea intelligi possint, certe hæc nostra ratio, ad quam omnia, quibus latini a græcis distant, revocari possint, verisimilior putanda est quam Meieri, qua quum utitur, alia prætermittit nulla causa exposita, alia ab aliis causis profecta esse decernit.

Ad id igitur, quod initio hujus commentationis interrogavimus, num quid certi via ac ratione, qua usi sunt adhuc doctissimi homines, assequi possis, mihi jam videor respondisse. Quamquam enim materia et quasi silva, quam præbent versus comicorum, in dies diligentius perspecta et accuratius distincta est, quæ sit causa vera, quæ singula efficit, et, ut ita dicam, intima, nondum potest in medio non relinqui.

Quomodo ergo ad verum hujus rei judicium perveniri potest? Viam, quam dico, paucis et summatim adumbrare conabor.

Primum igitur, quid sit id, quod ictus vocatur, diligentius disquirendum est; deinde etiam vim et rationem accentus penitus perspici oportet. Nam priusquam utriusque rei concordiam perscruteris, res ipsa postulare videtur, ut, quid sit utrumque, sciatur.

De ictu primum videamus!

Ut numerus efficeretur, non satis erat certis modis longa vel brevi serie syllabas vel longas vel breves contexi, sed aliquo modo insigniri et notari unam præter ceteras pedis syllabas necesse erat. Ut enim a simplicissima origine proficiscamur, numerus non fit eo, quod sic componuntur longæ syllabæ, quarum nulla inter ceteras excellit: 'fórtúnám múltí cónántúr cáptáré,' si unamquamque eadem longitudine legas et vocis contentione; nam varietate caretur. Ita si quantitatem modo spectes, numerus nequaquam potest fieri; nam duarum similium syllabarum alteram, ut jam diximus, aliquo modo notari necesse est. Nam aliter nullus exstare potest verbi gratia spondeus. Hæc autem tria vox humana ad syllabas distinguendas præbet, quantitatem, sonum acutum vel gravem, denique vocis contentionem; sed quantitate quasi fundamento jam ad poësim adhibita, quoniam sonorum varietas, quæ in lingua quotidiana — de græcis enim loquamur — observatur eo, quod appellatur accentus, non potest advocari adjutrix, nihil restat nisi vocis contentio. Et verisimile est græcos etiam ad certas syllabas notandas hanc adhibuisse, ut fieret varietas. Quoniam igitur longitudo non est ictus, et breves syllabas notare potest.

Et si de vi verbi illius 'ictus' cogitamus, hoc idem fere est ac nostrum illud 'taktslag'; et re ipsa atque natura fit, ut hoc 'ictu' syllabam illam, quæ summam præ se fert vocis contentionem, notemus.

Ut ad latinos jam nos convertamus, ad litem vere dijudicandam vim et naturam accentus latini cognoscere maxime interest. Utroque enim trahimur: aut musicalem, ut ita dicam, credendum est fuisse accentum, aut id, quod dicitur 'exspiratorium'; quamquam et tertium dabitur, ut placet Seelmanno, accentum simul musicalem et exspiratorium fuisse. Si enim conjici licet ictum contentionem fuisse vocis, et id potest comprobari accentum musicalem tantum fuisse, concordiam, quam comici latini præbent, profecto fortuitam esse asseverandum est. Nam cur ita accentum ictum sibi conciliaturum fuisse credendum est? Quod si accentum exspiratorium aut simul musicalem et exspiratorium fuisse demonstres h. e. contentionem quandam vocis, tum verisimile est, si non certum est, concordia, quoad ejus fieri posset, poëtas veteres delectatos esse. Tum enim idem fere erant accentus ictusque; et si caveri non poterat, ne, quum græcos imitati quantitati primas tribuissent, sæpe discordia fieret, tamen non modo poterant institutione quadam versuum concordiæ prospicere, sed etiam quædam, quæ durius in aures inciderent, quam ut probarentur, prorsus evitare. Ita tantum res digna est, cui ultra studeatur; nam ad certum finem forsitan proficisci possis; quamdiu autem in dubio hæret, utrius generis accentus fuerit, inanem laborem susceperis.

Quomodo igitur de vi et natura accentus ad certum judicium progrediendum est? Testimoniis quidem utendum est veterum grammaticorum; ambiguitatis tamen

sunt tantam nobis dubitationem injicientis, nihil ut certe judices. Nam quid sit, quod dicunt si non 'longitudinem', at tamen 'altitudinem', 'crassitudinem' in ambiguo fere est, et omnino verba, quibus ut vim declarent accentus, utuntur, ut 'deprimere', 'sublimare', 'acuere', 'elevare', vocem intendere', vel 'inclinare', cetera non minus ad varios sonorum gradus quam vim et contentionem vocis pertinere possunt. Et fit fortasse, ut grammatici latini, qui in ea re græcos habebant auctores, leges modo linguæ græcæ sine judicio ad suam linguam accommodaverint, itaque rem demonstrarint non ita, ut erat, sed qualem esse credebant vel oportere esse putabant. Comparatione igitur primum opus est præceptorum, quæ dantur a græcis et latinis, deinde etiam disquisitione, quam vim habeant in sermone quotidiano verba illa, quibus utuntur.

Hæc jam quærere meum non est; olim fortasse. Ex eo tamen, quod cognovi, verisimile esse videtur magnam in lingua fuisse vim musicalem. Huc autem utrum accesserit exspiratoria vis necne, id jam in medio relinquendum est, et dubito, num umquam testimoniis tantum grammaticorum nisus certam consequi possis scientiam. Viam tamen, qua una mea quidem sententia ad certum judicium pervenias, monstrare velim.

Vim propter suam et rationem consentaneum est in lingua, qua habitarit, accentum exspiratorium multa vestigia et indicia reliquisse. Nam quoniam majore quadam vi aër tum ex pulmonibus effunditur, quum syllabam accentuatam pronuntiamus, quam quum ceteras, et sonum illius syllabæ clariorem ad aures pertinere et particulas illas oris et laryngis, quibus quum varie utaris, sonorum efficitur ea varietas, quam linguam esse intel-

ligimus, munere suo fortius perfungi et accuratius necesse est.

Ceteras autem syllabas, quæ hac cura non fruuntur, et minus audiri et minore accuratione effingi consentaneum est. Itaque sensim fit mutatio quædam linguæ accentu exspiratorio utentis, quæ magis ad syllabas non accentuatas pertinet. Soni enim, qui auribus minus excipiuntur, excidunt; et ita ultimæ præter ceteras syllabæ detritæ evanescunt, si longæ sunt, corripiuntur. Et transitus sonorum fiunt; ita ut soni, qui commodius et minore cura pronuntiari possunt, eos, qui majorem postulant diligentiam, emoveant. Syllaba etiam accentuata, quam magis tuebitur res ipsa, transitus ejusmodi pati potest.

Quodsi linguam esse intelligimus accentui modo musicali studentem, quæ quidem omnes syllabas profert eadem vocis contentione, facillime patebit opus ejusdem modi corrumpendi non fieri.

Penitus igitur hæc cognosci necesse est, quas præbeant mutationes,

a) linguæ syllabæ, quæ sunt ante accentum, qui exspiratorium vocatur;

b) syllabæ, quæ hunc accentum ferunt;

c) syllabæ, quæ post illum sunt, et præter ceteras ultimæ;

d) migratio accentus a syllaba ad alteram.

Hoc ad singula verba; post etiam id disquirendum est, quæ in contextu verborum propter vim accentus mutentur.

Quomodo igitur, quas in lingua accentus efficiat mutationes, potest indagari? Eligenda est, inquam, lingua,

quam accentu exspiratorio uti nulla est in dubitatione — quæ propior est nostra lingua suecana? — ut effectus accentus perspicias. Itaque summo studio initia et progressus linguæ, quam cognoscere velis, gradus et ætates persequenda sunt, dum de hac re certa cognoveris et contendere possis: illi sunt accentus exspiratorii effectus.

Post autem hæc ad latinam linguam conferenda sunt. Ubi si eosdem effectus inveneris, haud multum a veritate aberres, si hos eidem attribuas causæ. Velut, si vocabulis incurras 'scrī́bo' sed 'conscrĭbíllo', 'ṓffa', sed 'ŏfélla', 'mā́mma', 'mā́mmula', sed 'mămílla', cetera, si exitus verborum et præpositiones breves esse invenias præcipue, tum tibi forsitan in mentem veniat hæc nostra comparare: 'jā́g', sed 'jăg víll', 'ī́' sed 'ĭ hŏ́st' et exitus omnes nostros amissos 'ulfr'> 'ulf', in dialectis 'ryslig'> 'rysli', 'vacker'> 'vack', cetera.

Linguas latinæ finitimas revoca in quæstionem; umbrorum dico et oscorum. Et gradus atque ætates linguæ ipsius latinæ a priscis maxime temporibus et ex titulis et ex literis sunt perspicienda. Comici quoque imprimis digni sunt, quos cognoscas; non tamen dico artem metricam, qua in dubio, ut demonstravi, relinquimur, sed artem, quæ vocatur prosodica, eorum, quæ optima fortasse indicia præbebit; de hujus modi tantum commoneo mensura, ut 'volŭptáte', 'ĕst', ceteris.

~~Indicia~~, quæ ad accentum exspiratorium pertinent, si non invenias neque vestigia, quæ eo deducant, profecto omnia, quibus usi sunt grammatici veteres, verba ad musicalem tantum accentum spectant. Tum vero frustra apud comicos accentus ictusque concordia quæretur; nam fortuita est, ubi est. Quodsi exspiratorium

accentum, qui quidem tanti fuerit momenti, ut ad structuram linguæ pertineret, monstrat quæstio, verisimile est et ad poësim eum pertinuisse easque dissimilitudines, quibus distinguuntur comici ab iis, qui eadem ætate vel post spreto prorsus accentu more græcorum versus scribebant, ab accentus cura profectas esse.

Duas igitur supra sententias posuimus, quarum altera concordiam illam a poëtis arte quæsitam esse statuit, altera quantitatem solam spectatam esse contendit. Concordiæ vero illius defensores non possunt non confiteri quantitatem priorem spectatam fuisse, sed iidem affirmant copia verborum ad id apte posita accentum, quoad ejus fieri posset, servatum esse. Sed quum utrumque spectarent comici, fieri non potuisse, quin duæ illæ leges, quæ simul respicerentur, interdum altera alteri resisterent, ut tum quantitas, tum regulæ illæ, quæ accentus spectarent observationem, violarentur. Inde igitur has mensuras profectas esse: 'rédĭ', 'bónăs', 'dómĭ', 'nóvŏ', 'vírĭ', 'vélĭs', 'ábĭ', 'érĭ', 'fénĕstra', 'mónĕstrum', ubi syllaba, quæ accentu careret, contra leges quantitatis corriperetur post accentum; 'jūvĕntūtem', 'vŏlŭptātem', 'ĕnĭmvēro', 'ŏcculto', 'prŏfitetur', 'ĭndiligenter', 'gubĕrnabunt', 'ărmati', 'ŏccidi', ubi ante accentum; 'fúimus', 'fúerim', 'fúi', 'fít', 'scít', 'fíeri', ubi vi accentus brevis syllaba produceretur vel, si a principio longa fuisset, vi accentus contra legem corripiendi in pristina longitudine maneret; 'hĭc', 'hănc', 'hŭnc', 'nŭnc', 'ĕst', 'ă', 'ĭnter', 'ĭnquam', 'ŭsquam', 'hĕrcle', nĕmpe', 'ĕrgo', 'ĭllĭŭs', ubi con-

textu verborum quum accentus obscuratus esset, et longitudo evanesceret; 'omnia', 'lubidine', 'dicere', 'astitit', 'experior', 'abierit', 'desideret', ubis brevis syllaba propter ictus vim produceretur.*)

Regulæ autem, quæ a cura accentus profectæ esse dicuntur, interdum violantur, ita ut in secundo et quarto pede trimetri jambici et spondeum et anapæstum inveniamus.

Alteri autem, qui vim defendunt quantitatis, ei omnia vindicant. Ad legem enim quantitatis revocantur et concordia et discrepantia. Si qua in versu metiendo inveniantur comicis propria, artem prosodicam illis fuisse longe aliam atque ceterorum asseverant, et diversitatis hujus rationem reddere conantur; velut in 'juventutis', 'senectutis', 'voluptatis', sonos illos, qui literis n, c, p exprimuntur, minus auditos esse ideoque positionem non semper effecisse tradunt, cet. Et quædam verba aliam ac solitam præ se ferentia mensuram hoc confirmare videntur in arte prosodica sibi propria neque ab accentu profecta versatos esse comicos, ut hæc: 'profecto', 'arguam', 'hostica', 'obsecras', 'impera', 'epistula', ubi in verbis cum plus quam duabus syllabis syllaba ipsa accentuata quamvis positione longa brevis evadit. Sed nescio an et ejusmodi verba contextu verborum accentum perdere potuerint. Interim ergo causam, quæ has effecit breviationes, in medio relinquamus. Verisimile tamen videtur aliud quiddam atque quantitatem ad has mensuras valuisse; nam lex non magis quantitatis quam

*) Videndum est, nonne a temporibus, quibus ultimæ omnino longæ erant, hoc sit repetendum.

positionis a comicis semper fere cognita et perspecta erat et ad versus faciendos allata; eo magis adducor, ut credam accentum, qui gravior esset, quam ut negligeretur, sæpius leges quantitate constitutas quodammodo turbasse.

Sententias igitur proposui contrarias et eorum, qui concordiæ aliquid, et eorum, qui nihil tribuerunt. In medio autem quodammodo consisti potest. Nam consensum illum accentus ictusque per se minime petitum esse a comicis, sed vim et quantitatem modo syllabarum accentu hoc vel illo modo effectam spectasse poëtas statuere licet. Nam ut a longis syllabis ordiamur, ejusmodi syllaba accentu notata longior poterat esse, quam ut in pede, quo verum metrum jambicum et justum ostendi oportebat, partes thesis ageret; videlicet tum consensus ille non spectabatur, sed tantum ratio syllabæ et quantitas, quæ accentu producta est. Sed utique cave statuas accentum nullius momenti habitum; omnino enim multum sibi vindicavit.

Et ad breves syllabas hoc pertinet. Illis quoque longitudinem quandam necessariam fuisse, ut ictum reciperent, conjici potest. Quam ob rem nonnullæ breviores videbantur, quam ut ictui placerent, breves dico pænultimas et ultimas, præ ceteris illas. Et hoc ad accentum revocandum est; nam vicinitate antepænultimæ accentuatæ syllaba illa omnino fere suppressa et obscurata est. Unum est, quod, ut eruatur causa diversæ rationis, poscit, raritas hujus figuræ, ⏕ ◡́ ‖ ◡ —, quum, ut statuit Ritschelius, hæc non ita multum displiceat: ⏕ ◡́ ‖ ◡ ◡: 'erùs operàm darè'; quod in medio est relinquendum; certe tamen utraque figura rarioris est usus. Ceterum breves ultimas in verbis saltem hyperdisyllabis

longitudinem quandam habuisse satis apparet, præsertim quum eas interdum ut longas tractaverint poëtæ.

Sua sponte jam nobis occurrit quæstio, num, si ultimas semoverimus, breves syllabæ non receperint ictum nisi accentuatæ. Id si statuimus, et hoc erit statuendum temporibus Plauti ac Terentii sedem accentus in brevibus syllabis quodammodo incertam fuisse. Nam non minus has formas invenimus: 'mìseriaé', 'rèdierìt', quam has: 'misèriæ', 'redìerit'. Ac si probari potest priorem illam rariorem esse apud Terentium quam apud Plautum, quod quæstionibus nostris minorem utriusque fabularum numerum continentibus invenisse nobis videmur, hoc argumentum quoddam, quantulumcumque erit, putemus sedem accentus brevium quidem syllabarum ætate etiam comicorum variatam esse et sensim itum esse ad posterioris ætatis constantiam (cfr. 'fènĕ̄strum', 'mònĕ̄strum' apud Plautum). Quodsi hoc nullo modo statui licet, nimiæ tamen non est audaciæ breves syllabas ita tantum, si accentuatæ essent vel olim accentu occupatæ fuissent, longitudinem quandam obtulisse, quæ ictui idonea esset, contendere: ita non consensum accentus ictusque, sed rationem, quam effecit accentus, brevis syllabæ spectatam esse. Quomodocumque res se habet, aut sua aut effectus sui gratia accentus a comicis spectari putandus est.

Quæstionibus *tragicorum* græcorum hoc exprompsi in solutionibus arsium has incisiones sæpissime usurpari ⏒ || ⏑́ ⏑, ictum igitur summo amore primam verbi brevem quærere syllabam, hanc autem figuram rariorem esse ⏒ ⏑́ ⏑. Hoc ad latinos transferens credidi et ibi primam verbi syllabam ictu esse amatam et ab hoc ictus studio concordiam propter leges accentus linguæ la-

tinæ proprias repetendam esse. Sed quum inveni non minus 'mìseriæ' quam 'misèriæ', 'rèdierit' quam 'redìerit' cet., hæc concordiæ illius causa mihi rejicienda fuit. Inveni præterea 'àliquis', non 'alìquis' (sed 'alìquibus'), 'tèmere', non 'temère' (sed 'temèritas'); tum aliquid causæ inesse latinis propriæ, cur hoc fieret, intellexi.

Unum jam restat, ut, quid de accentu censeamus in verbis, quum in poësi ictus cum eo non coit, dicamus. Ut supra scripsimus, Bentleius et Ritschelius statuerunt v. g. stultùm in ultima ictu notatum accentum naturalem suum prorsus amittere et alium recipere. Quod non ita esse in aperto fere est; nam alieno accentu verbum etiam longe diversum fit; quomodo utrumque — et accentum et ictum alterum alteram ejusdem verbi syllabam notantem — consociaverint latini, hæc est difficillima quæstio, gravior sane quam pro nostris viribus.

Utrumque vero nescio quomodo spectatum esse in versibus satis nobis sit commonuisse. Et credo linguas, quæ romanæ vocantur, imprimis francogallicam, quum et ibi discordia quædam ictus accentusque possit inveniri, si poësis ejus linguæ accuratius cognoscatur, quomodo rationem accentus ictusque consociaverint latini, fortasse ostendere posse.

Quæstioni jam nostræ finem imponamus. Minime ignoro equidem, quam nihil in tanta rei difficultate profecerim, et sæpissime opus nimis arduum esse intellexi. Sed hoc mihi satis erit, si ad rem aliquid attulero, et, quum primus nostrorum hanc rem tractaverim, apud eos quoque studium hujus rei perscrutandæ et industriam excitavero.

L 419
Consensus, qui potest inveniri inte
Widener Library 005770571
3 2044 085 181 527